De Statu Animae (Latin)

Claudianus Mamertus (d. c. AD 474)

SermonIndex.net / Church Fathers

Contents

Epistvla Favsti **1**

Clavdiani Mamerti De Statv Animae Libri Tres — Praefatio — Praefecto Eio Patricio Doctissimo Et Optimo Viro Sollio Sidonio Clavdianvs **8**

Clavdiani Mamerti De Statv Animae Liber Primvs — I. De Opinionibvs Inperitorvm Et Pervicaciis In Defendenda Svperbia **10**

Clavdiani Mamerti De Statv Animae: Liber Secvndvs — I. Qvia Omnia Contrariorvm Conparatione Facilivs Dinoscvntvr **43**

Clavdiani Mamerti De Statv Animae: Liber Tertivs — I. De Lazari Corpore Qvaliter Exanimatvm Iacverit Localiter, Cvm Anima Inlocaliter Discesserit A Co **66**

Book ep: Epilogvs **82**

Epistvla Favsti

Quaeris a me, reuerendissime sacerdotum, quo modo Arianis respondendum sit, qui blasphemo ore conantur adserere: non potest, inquiunt, fieri, nisi ut iunior sit genitus ab singenito. iuxta quae totum silentium quasi iussus absoluere non tam pro rei instructione quam pro fidei confessione praesumam id primitus obseruans, ne res per se obscuras studio conpositi sermonis inuoluam, sed quaedam pauperis sensus indicia, quae non tam ornatui quam intellectui uideantur seruire, depromam. respondeo ergo sicut respondere discipuli magistris interrogantibus solent. itaque ad praeceptum beatitudinis uestrae loquor, ut discutias inperitiam, contestor ut doceas. nam apud eruditissimum si reticeam, uix possum scire quid nesciam. De ingenito locuturi scire debemus aliud esse rerum substantias, aliud rerum nomina, sicut uerbi gratia cum aurum atque argentum dixeris, non statim metallum ipsum, sed metalli uocabula protulisti. etenim aurum aliud est in proprietate generis, aliud in adpellatione sermonis, aliud est cum illud nominamus, aliud cum tenemus.

Genitus et ingenitus significatio est deitatis, non ipsa deitas, naturae est adpellatio, non natura. ingeniti et geniti nuncupatio ad hoc ualet, ut quis ex quo subsistat intellegas et non patrem ex filio, sed filium ex patre esse cognoscas. principium ex principio et unum est et initio caret, quo modo si dicas: deus ex deo, non tamen duo dii, sed unus dicitur. genitus ergo, ingenitus et ex utroque procedens personas indigitat, non naturas. maiestas enim, -quae patri est indiscreta cum filio et spiritu sancto, distingui nominibus potest, ordinari gradibus non potest.

Hoc loco praescius oportet intentionem mentis admoueas. dicis forsitan: quia ex illo est, posterior illo est. age ad haec intellectum nostrum aliquibus conparationibus nutriamus. uideamus si aliqua res ex alia exsistat, quae tamen illa ex qua exsistit non sit aetate posterior. uerbi gratia hoc ipsum filii nomen ex patris deriuari nomine creditur, nec tamen posterius inuenitur, quia nisi iste nasceretur, pater ille non diceretur. ecce nomen, quod absolute coaeuum illi est a quo est, et cum filius ex patre sit, patri nomen filius facit: adquirit genitori uocabulum pietatis persona nascentis. cum hoc ex illo sit, nec hoc posterius nec aliud probatur antiquius, et cum brachii nomine filius ex operum uirtutibus nuncupetur,

ecce brachium procedit ex corpore, et tamen brachii aetas corporis non praecedit. uerbum ex uoce profertur, et tamen cum ex ore nascatur, uoce esse posterius non probatur. ignis et caloris indiuisa societas: sed cum calor indubitanter ex igne esse intellegatur, tamen ignis nequaquam calore suo prior esse dinoscitur. ecce rem, quae exsistere uidetur ex illa, et tamen ei, de qua exsistit, sine ulla temporis intercessione coniuncta est.

Cum autem ad deum uenimus, hoc est genitus, quod iustus et iustitia, sapiens et sapientia, misericors et misericordia. absolute ex deo iusto atque sapiente secundum apostolum oriri intellegimus iustitiam atque sapientiam, et sicut numquam iustus sine iustitia, numquam sapiens sine sapientia fuit, ita filius ex patre, sed numquam (pater) potuit esse sine filio.

Absque dubio Ariani saluatorem nostrum negare non audent, sed dum minorem dicunt, deum adserere non possunt. deus enim naturaliter plenitudinis dignitate subsistit, et eorum inpietas unum se deum colere prima confessione testatur. sed quia iuniorem, per eum, qui putatur senior, duos facit et soliditatem unitatis intersecat. nam ipsum nomen minoris alterum, qui illo sit maior, ostendit. quis illo antiquior, qui de se ipse pronuntiat: ego sum A et Ω, primus et nouissimus, qui a Iudaeis quis esset interrogatus ita respondit: principium quod et loquor uobis, qui ueridica per prophetam uoce confirmat: ante me non fuit deus et post me non erit? si pater hoc dicit, inferiorem post se non coepisse confirmat, si filius, ante se penitus non fuisse pronuntiat. de hoc propheticus sermo euidenter insinuat: hic est deus noster, et non reputabitur alius ad eum, et post haec: inter homines uisus est et cum hominibus conuersatus est. secundum haec ergo inter genitum et ingenitum nec ordo est, quia unus est, nec tempus interest, quia primus est, nec postponendus est, quia solus est, nec minor dicendus est, quia plenus est. ergo dicitur perfectus simplicisque naturae, inaestimabilis et inpassibilis, etsi eum secundum carnem passum esse pro nobis ueraciter et salubriter confitemur.

Post haec sequenti loco quaeris a me, quo modo iuxta substantiam dei in epistula quadam scriptum sit: nihil sensit patientis sensu, sed sensit conpatientis adfectu.

Primo hoc, quod nec philosophos latuit, scire promptissimum, quia in homine diuersae adfectiones, id est, iustitia, misericordia, sanctitas, beneuolentia, pietas res accedentes sunt et ideo adfectus uocantur. deus uero his non passibiliter adficitur, quia ei inesse iugiter et naturaliter dinoscuntur. ergo quod in homine adfectus et gratia, in deo uirtus est et natura. nam quod dictum est: nihil sensit patientis sensu, sed sensit conpatientis adfectu, cur quisquam illo sensu dicere non praesumat, quod etiam propheticum commemorat: domine, ne in ira tua arguas me neque in furore tuo corripias me, et: iurauit dominus, nec paenitebit eum, et iterum: iratus est dominus populo. suo et abominatus est hereditatem suam, et item diuerso adfectn Iacob dilexisse et Esau odio habuisse describitur. contristari in peccatis nostris et laetari dicitur in operibus suis et adfectibus subiacens de se

ipse dicit: paenitet me fecisse hominem, et de summa caeli sede pronuntiat: Saule, Saule, quid me persequeris? iam et conpatientis ostendere adfectum uidetur, cum dicit: esuriui et dedistis mihi manducare, sitiui et dedistis mihi bibere, et reliqua huius modi, quae memoriae abundanter occurrunt.

Quo modo ergo, si quisquam sacerdos multiplici linguarum scientia praeditus et in medio diuersarum gentium constitutus Hebraeum Hebraeo, Graecum Graeco, Romanum Romano instructurus adloquio secundum singulorum intellectum uerba conformet et iuxta unius cuiusque sensum oris sui coaptet adloquium et dissonas unius cordis et [peccatoris] pectoris uoees in uarios dispenset auditus, ita et deus cum homine locuturus adsumere dignatur hominis linguam, formam etiam susceptturus humanam per intellectuum nostrorum sonos ordinationum nostrarum contestatur adfectus. nam dum quinque humanorum sensuum officia describens ita dicit: oculi domini super iustos et aures eius ad preces eorum, et iterum: os domini locutum est, item: et odoratus est odorem suauitatis, et: manus mea fecit haec omnia. caelum mihi thronus est, terra autem scabellum pedum meorum, cordibus nostris efficientias insinuat rerum sub significatione membrorum, unde pro ineffabili eius circa humanum genus dignatione, quae seruos amicos ac filios nominare et conpellare non despicit, ut homo cum eodem uicissim humano ore et more conloquitur.

Ceterum dei ira iustitia est, dei furor seueritatis uigor est, dei iurasse definisse est, dei paenituisse sententia tamen saepe mutata, et cum se persequente aliquo laedi dicit, crimen laedentis ostendit. intercluditur nobis omnimodis orationis ministerium omnisque ratio, qua deus uel intellegitur uel praedicatur, si haec humani sermonis commercia subtrahuntur. cur ergo dici inter ista non possit: sed sensit conpatientis adfectu?

Si ergo discutienti magistro simplex et aperta responsio satisfecit, transeamus ad tertiam quaestionem, qua ut respondeam praecipis, quae in rebus humanis corporea, quaeue incorporea sentienda sint. ad haec aliqua non pro sensus mei praesumptione depromam, sed pro sanctorum opinione seniorum, praesertim cum haec animum laedere non possint et ad fidem nutrire possint et usque ad id, quo patri filius aequalis adpareat, contra Arianas armare atque regere ualeant prauitates. ergo quando de tractatu altiori conlatio est, ad subtiliorem intellectum sensus. et animus praeparandus est. nonnulli eruditissimi patrum alia adserunt esse inuisibilia, alia uero incorporea. quidquid creatum est, materiam uideri et factori suo conprehensibile et corporeum esse definiunt. nam et animarum et angelorum naturam adserunt esse corpoream pro eo, quod initio circumscribantur et spatio. nam sicut in quodam S. Hieronymi tractatu legimus: globos, inquit, siderum corporatos esse spiritus arbitrantur, et item: si angeli, inquit, caelestia etiam corpora ad conparationem dei inmunda esse dicuntur, quid putas homo aestimandus est? sed inter haec ideo tu animam negas esse corpoream, quia iuxta aliquorum opinionem nec localis sit, nec qualitate aut quantitate subsistat, quod de sola dei maiestate

credi debere manifestum est. legimus enim in quodam. receptissimo patrum tractatu: ingredi, inquit, et inplere omnia soli est possibile trinitati, quae sic uniuersae intellectualis naturae efficitur penetratrix, ut non solum circumplecti eam atque ambire, sed etiam inlabi ei et uelut incorporea corpori possit infundi. licet enim pronuntiemus \\ nonnullas spirituales esse naturas, ut sunt angeli, archangeli ceteraeque uirtutes, ipsa quoque anima nostra uel certe aer iste subtilis, tamen incorporeae nullatenus aestimandae sunt. habent enim secundum se corpus, quo subsistunt, licet multo et inconparabiliter tenuius, quam nostra sunt corpora secundum apostoli sententiam dicentis: et corpora caelestia et corpora terrestria. quibus pro manifesto conligitur nihil esse incorporeum, nisi solum deum, et idcirco ipsi tantummodo posse penetrabiles omnes spirituales atque intellectuales esse substantias. quae cum ita sint, obicis mihi ideo animam non esse corpoream, quia, ut dictum est, nec localis sit nec qualitate ant quantitate subsistat. quod cuius periculi sit ita credere in subsequentibus demonstrabitur: nunc uero in hoc tractatus nostri statu habita discussione pendebit, ut si nec localis sit nec quantitati subiaceat, esse eam haud dubie incorpoream concedamus, si uero eam demonstrauerimus quantitate determinari locoue concludi, consequenter eam etiam corpore contineri nec ipse iam dubites. quo modo non localis est, quae inserta membris et inligata uisceribus solis motibus uaga condicione substantiae tenetur inclusa? quod si localem non esse animam ideo adserendum putes, quod per diuersa sensibus euagetur et cogitationibus differatur, primum intellegendum est, quod aliud sit animae status, aliud is qui de anima nascitur cogitationis adfectus. quam ob rem aut hoc potius aestimandum est, quod si quando sibi aliquid imaginatur, magis cum suis intra semet ipsam motibus occupetur, et si quid aliud est, quod adspicere uidetur, magis ei in recordationis speculo describatur. nam quando absentem carum suum cogitat, numquid iam uelut ipso conspecto desiderio satisfecit? aut cum uerbi gratia Petri aut Pauli speciem intra mentis arcana depingit, numquid statim intimas paradisi sedes, ubi eos esse nouimus, penetrauit P aut cum sibi in corde diuitis illius flammas ex lectione proposuit, numquid iam ad tormentorum eius loca ac uiuis inaccessibilia inferi profunda descendit? haec omnia procul dubio aut secum intra pectoris arcana per uarias similitudines fingit aut certe si extra animae sedem instabilis cogitatio lubrico motu agitata discurrit, . hoc ipsud localiter agit, et siue urbem. siue quamcumque regionem cogitet, ibi tantum sensu commorante defigitur, quo animi intentione raptatur. imaginari sibi aliqua potest, conplecti omnia simul non potest. cum ergo anima Alexandriam uel Hierosolymam cogitanit, si uere illic tota sui praesentia, ut arbitraris, interfuit, referat nobis situs loeoram, uultus hominum, motus actusque populorum. sed hoc ipsud quod nunc inter nos commercia sermonum mutua spiritus actione miscemus, loqui me uobiscum, sed apud conscientiam meam, sentio, ad uos uero me accessisse non sentio. nam si uere anima cum suis ferri sensibus creditur, et his quorum reminiscitur ipsa per se suis cogitationibus praesentatur. ecce per haec praesentis temporis momenta uos cogito et animo reminiscente uos uideo, sed omnimodis quid geratis et utrum

quieti an lectioni uel orationi uacetis ignoro. sed hoc ideo euenit, quia ad uos cordis adfectu, non ipsa substantiae meae ueritate peruenio. neque enim in suis motibus quos nunc optimos, nunc pessimos esse sentimus, animae nostrae natura consistit. nam si per cogitationes suas constare credenda est, cur eis interdum euanescentibus atque pereuntibus ipsa in sui uigore. atque alacritate perdurat? quantae ergo in nobis frequentissimae cogitationes et curae etiam salubriter moriuntur et uitae magis libertati interioris operantur! si ipsis anima constaret, \' absque dubio ipsis pereuntibus superesse non posset. unde hoc magis ipsa conscientiis nostris ratio loquitur, quod unaquaeque anima aut multiplicia cogitata rerum causis intra se concepta parturiat aut sensus suos uelut quaedam officia aut ministeria diuersis necessitatibus occupanda dispergat, ipsa uero in conclaui corporis sui semel de eo exitura requiescat. quam ob rem localem esse ipsam, ut denuo sufficiens proferamus exemplum: nonne anima Lazari manente uita intra corpus fuit, recedente autem uita de habitaculo corporis exulauit et rursum intra exanimum refusa corpus illo unde absentauerat euocata remeauit? tunc eam tamquam et hospitii habitatione depulsam et rursum intra hospitium, unde absentauerat, restitutam uides et localem non esse contendis? sed quid ego haec de corruptibili homine loquar, cum ille cuius caro non uidit corruptionem inmaculatam quidem animam possederit, sed localem, quam utique intra se habuit, quando adfixus est in patibulo, extra se procul dubio emisit, quando iacuit in sepulcro: quo modo non est localis, quam caro continet, uita coniungit, mors separat? quod si, ut dicis, localem necessitatem animarum natura non recipit, non desunt ergo et de regione paradisi illae, quae carcere clauduntur inferni? dic, quaeso, si locales non sunt, quo modo peccatores a coetibus consortiisque iustorum uastum illud chaos tristi interiectione discriminat, ut neque hinc illo possint accedere neque inde huc transmeare? iam illud manifestissimum est, ut quantitate circumscribantur, quae spatiis continentur. si agnouisti animam localem, concede corpopream. dic mihi anne ipsa gloriosi anima redemptoris nostri reliquit mundum, quando consurrexit ad caelum?

Ego autem ne angelos quidem locales esse dubitauerim, quos certum est nunc in caelestibus contineri, nunc per aeris uacua ferri, nunc ad terrena dimitti, quos sermo diuinus ascendentes et descendentes in patriarchae uisione describit, qui utique si locales non essent et ubique essent, adesse atque discedere ascensu descensuque non possent. ipse beatissimus Gabriel, qui se ante deum adstare testatur, cum caelorum dominum Mariae infundendum uisceribus nuntiaret cumque sub dominicae [praeceptione ordinationis] oculis genitricis adsisteret, sine dubio caelo deerat, maria non occupabat, uacua atque diffusa uasti aeris non inplebat, sed illum tantum modo locum in quo erat occupabat. quae cum ita sint, quidquid locum occupat, corpus est, et nescio quo modo locali lege non teneatur, qui de loco ad locum mittitur, et uelut corpus motu accessuque transfertur, mole descendit, mobilitate discurrit, uadit, redit, absentat, ascendit. uel ille, credo, localis est, qui ex eo in caelo non est, ex quo est eiectus e caelo, nec se solum localem esse pro-

didit, qui secum tertiam partem stellarum ex alto proturbatus abstraxit. dic mihi si corpus non habet, in illa deiectione quid decidit? quid illi negas corporalem naturam, cuius negare non audes ruinam? et si, ut dicis, corpus non habet, non ardebit: ubi autem, nisi in corpore, sentiet ignem illum, qui paratus est diabolo et angelis eius? iam illud dici superfluum puto illum de aeris istius conuersatione quandam crassitudinem de elementorum concretione traxisse. dic mihi, si corpus non habuit, ubinam in aere concretio, ubi sese haec ipsa nescio quae colligere potuit crassitudo, si secum aliquid corporale de illa caelesti arce non detulit? alienum, ut uideo, corpus ad tormenta portabit. corpus itaque esse etiam ex tua adsertione recognosce. corpus est quod inficitur, quod maculatur, quod quaeumque ex accedenti adiectione uertitur. hic ergo dudum primogenitus angelorum, nunc princeps factus est tenebrarum et quasi corporeus pulcher ante, nunc degener, dudum caelesti splendore conspicuus, nunc taetro infernalis peccati horrore foedatus. corpus, inquam, est quod (locum) habet, actione depellitur, quantitate circumscribitur, qualitate mutatur, dolore conficitur. quae cum ita sese habeant, qui incorporeum dicunt animum, uide in quam profundum se crimen inmergant. iam primum cum auctor uniuersitatis deus omnia in numero et pondere fecisse referatur, ergo anima a materia uniuersae creaturae excepta esse creditur, quae non est corporea nec localis est, si loco non continetur, ergo ubique diffunditur, omnia intrare, inplere et ubique praesens esse dicitur, ac si creatori suo creatura sociaretur et fragilitas auctori suo, non iam res dei, sed pars dei aestimanda iungitur. uide quo adsertores suos ducat alti prolapsus erroris. equidem nobis ea quae supra nos sunt, inuisibilia sunt: sed omnia illi sicut conprehensibilia, ita et corporea sunt, qui ex nihilo fecit omnia, quae sicut opere instituit, ita et materia incorporauit, et rebus omnibus, inter quas et anima censetur, sicut distribuit pondus, numerum <atque mensuram), ita et posuit quantitatem. inter haec si forte, ut dictum est, adserendum aliquis putet, quod illa angelicae subtilitate naturae quaedam contagio aeris huius admixtione collecta flammis inueniatur obnoxia, ergo in aere solo (prout ait, si aereum est, quod ardebit), non in illo, sed extra illum poena desaeuiet. sed absque dubio non aliud est, quam substantia corporis, ubi dominari poterit uis doloris. uide quo tendat inprudens et inperita persuasio, qui incorporeum cum loquitur, etiam inconprehensibilem confitetur, ac sic condito adscribit operi, quod soli conpetit conditori, ac rebus creatis communicat priuilegia maiestatis et indebitam facturae potentiam usque ad factoris extendit iniuriam. si bene requiramus ad quos rerum exitus animum referas, haec uel maxime diabolum credulitas ex illa beatae sedis statione deuoluit, et propter hoc angeli perdidit dignitatem, dum se dei praesumit habere naturam.

Vnus ergo deus incorporeus, quia et inconprehensibilis et ubique diffusus: ex nullius enim facturae corporeae materia <materia)le sumpsit exordium, et ideo coaeternus filius patri, quia ex nullo opere conditus nullisque initiis circumscriptus super omnia, quae figulo suo conprehoneibilia atque corporea intra mundi corpus

operatus est, incorporea maiestate diffunditur, ex ingenito genitus id est ex patre, sed semper cum patre his quae excitauit ex nihilo indiscreta sancti spiritus societate dominatur.

Clavdiani Mamerti De Statv Animae Libri Tres — Praefatio — Praefecto Eio Patricio Doctissimo Et Optimo Viro Sollio Sidonio Clavdianvs

Editionem libellorum mihi quos de animae statu condidi reticendi cautus et loquendi pensus arbiter imperasti. fas fuit memet doctissimi atque amantissimi uel peritiae cedere uel credere amicitiae. sed ut tute egregie conpertum tenes, multi hoc idem mihi et idem ipsi tecum magni admodum uiri negotium dedere, quod egomet haud temere suscepissem, nisi id spernere periculosius quam agere laboriosius iudicassem, quamquam pro uirili parte meum quoque fuerit uel non admonitum, prout posse subest, adserere ueritatem. scripsi igitur pauca haec ueluti quaedam rationum semina, quae studiosus quisque si non otiose capessat, ut ego arbitror, multa exinde deriuare poterit, quae etsi angustis emanantia uenulis in magnos tamen amnes longiore procursu exuberabunt. ego uero et fraudatus temporis et occupatus animi satis habui, quantum ad negotii praeeminentiam spectat, quam succinctim atque uti digito uel denotare uitanda uel ostendere sequenda. sane opusculum illud sine auctore proditum et usquequaque proquiritatum, toto agmine sui in acie eductum et conserta nobis manu congressum uiceritne cesseritne, tu, potissime disertorum, ferto sententiam. Sed ut quisque lecturus e praefato percipiat stili nostri seriem: primus liber in sui primordio breuiter adstruit inpassibilem diuinitatem nulli prorsus adfectui subiacere. post de animae statu uarium cum aduersario luctamen alternat. abhinc itidem ad erudiendum in ea quae sunt obscuriora lectorem quippiam ex geometricis et arithmeticis atque etiam ex dialecticis et nonnullis, prout interfuit usui, philosophomenon regulis modeste ac moderate et quam potuit parciter praelibauit habita identidem cum aduersa parte congressione, sicque adiectis nostris aliquot sine alienorum interpolamento finem liber accepit.

secundus post principium de mensura, numero et pondere non otiose et, uti autumo non infructuose dissertat, ubi si cognitor adsit intentus, sub adminiculo pietatis per differentium creaturarum gradus ad usque nonnullam creatricis omnium trinitatis si non iam felicitatem contemplandae, certe robustius credendae perueniet firmitatem. posthinc totus usque ad metam sui liber testibus utitur.

Tertius aliquantulum in sui primordio argumentatur, post saucios ex aduersa acie palantes insequitur, demum uero nec aspernatur pacem, nec conflictum metuit aduersantis ignoti.

En legisti, eruditissime uirorum, quod lectitabis: tu modo faxis uti memineris non absque cura tui prodi oportere, quod publicari iubes. neque ego de negotii pondere, sed de actionis leuitate dubitauerim. proinde consilium tuum adserito et defensitato: quoniam, si in his secus aliquid, ego conscriptionis periclitabor, sed tu editionis. uale et uige bonis uiribus, ueteris reparator eloquentiae.

Clavdiani Mamerti De Statv Animae Liber Primvs — I. De Opinionibvs Inperitorvm Et Pervicaciis In Defendenda Svperbia

Magnum in genere humano, Solli Sidoni, frater amantissime, multorum uitium est adrogans inperitia et peruicax in denfen-\’ dendis perperam praesumptis opinionibus pertinacia. nam plerique mortalium aut per sensus corporis corporearum rerum haustis imaginibus ueluti quibusdam rerum umbris obtutu mentis inluduntur, aut tenellis adhuc infantiae quondam suae persuasionibus in senectute puerascunt. si qua illis dicendi copia est, neglectis rerum causis rationis animam spernunt et uerborum corpora diligunt, cumque duplici ad ueritatem ueniatur uia, ut aut praeiudicatae auctoritati creduli-. tate subdamur aut ad scientiam ratiocinatione tendamus, nihil quod uel auctoritas iubeat uel ratio suadeat potissimum dicentes, spreta paucitate doctorum inludunt inperitos, quae . maxima turba est. sed et ipsi ab eisdem quos fallunt, reciproca inlusione falluntur. laudantur namque falsoque laudantur et credunt, quo mentis sanitas maxime periclitatur. accedit ad hoc etiam acescentis semper liuoris intentio, inuidentis animi crimen et poena. nam si quid ab his, quos iniquo lacessunt odio, ad utilitatem publicam ueri prodatur, diuersum protinus adstruunt, etsi idem sentiant, ac sic inexhausto firmatoque odio cum his, quos sibi odisse institutum est, nequaquam metuunt ueritatis fecisse iacturam. oderunt igitur proximum, oderunt et deum. atque in his duobus praeceptorum omnium totiusque legis spreta plenitudine non mirandum est, si uel de deo uel de homine probe non sentiant, qui utrumque a se odio mediante longinquant. sed istoc eorundem quamquam plectibili uitio moueor exilius, quia etsi maliuolentiae in alios tela moliuntur, ipsi magis propriis transfixi ictibus uulnera quae inferre conantur excipiunt: namque odiorum stimulis eorundem prius puniuntur auctores. illud multo maximum longeque periculosius crimen est, quod catholicae

sanitati opiniones inimicas stulte concipiunt, uane proferunt, superbe adstruunt, cum temeritate. scribunt, cum intentione defendunt, et quoniam humanitus per inprudentiam lapsi sunt, eligunt audaciae culpam suae peruicaci obstinatione defendere, ne uideantur potuisse peccare. ita enim palam sententias suas adstruunt, ut clam nihilo minus mussitantes blandimentis lenocinantibus ignaros rerum sedulo precentur, ut suae potissimum sententiae adquiescant, sibimet adsentiantur: illud ueri plenum, illud esse salutiferum, quod ipsi doceant, etiam deierando confirmant. si auctoritatom quaeras, subiciunt istius modi causarum secreta adiri nequaquam posse, nisi subtilissima rerum indagatrice ratione. si eandem in articulo reposcas, adiciunt auctoritati potius oportere concedi, neque ului praefatus sum propter argumentorum latentes quosdam scopulos pelagus disputationis intrare. ita auctoritate rationem, ut auctoritatem obiectu rationis eludunt et utroque horum ad id utuntur, ut neutro utantur. at si eosdem paulo strictius artum disputationis includat, aiunt quosdam esse sanctorum, quibus huiusce modi sit facillimum soluere quaestiones, se ab aliena magis auctoritate pendere, illud se maxime, quod alius sanxerit, esse secuturos. haec quis ferat ulloque ferri pacto posse iudicet, hominum quempiam et infitiari scientiam et uindicare doctrinam, cogitata sua, si discussor absit, adstruere, si adsit, operire? at, inquis, quorsum sermo progreditur? ego uero longiuscule. quam uolui praefatus sum, dum praesentium piget taedetque, nuper etenim offendi in quosdam, qui chartulam quandam oppido studiose lectitabant, et quia mortalium generi mos est, noui operis agnitione pellecti ad id percipiendum sedulo animo intenderant: hoc idem mihi acsi cognitu necessarium ultro ingerentibus inspicere plane non abnui.

Ii. Vbi Librvm Sine Avctore Incvrrisse Se Meminit

Prima opusculi facies de genito ingenitoque deo sublimissimae quaestionis uix foribus oberrans non perincatholicam praeferebat etsi longe inpari disputatione sententiam: ita penes me ratiocinandi lenitatem grauis causa pensauit. ubi legendi progressu reliquum lectionis acoessi, animaduerti quibusdam circumlocutionibus id inpensius molientem opelli ipsius auctorem, ut diuinitas passibilis crederetur. percontor de nomine: nec responso nec scripto proditur. coepi, fateor. talis equidem paginae stilum oppido ferre suspectum, et qu in eis solemus locis, quae uel humoris adsidui subterluuione cedentia uel leui prono lubrica uel cauo pendula uel sudibus aspera sunt, suspenso uestigio iter incognitum potius tentare quam currere, donec tertiae, ut illic est, partem quaestionis, ingredior. hinc iam non exploranda, sed explodenda sententia nequaquam pensi sermonis adparuit satis sedulo efficere cupiens, si quo pacto queat, ut anima corpus esse uideatur. nulla igitur argumentandi uirtute, nulla iubente lege, nulla persuadente ratione in hoc nequiquam uidelicet negotio tertius sermo finitur.

Ac mihi primum quaerere cordi est, quidnam rationis exstiterit, ut tantas initurus causas deque tam sublimibus locuturus sciri uitauerit. si bene conscius disputas, cur nomen occultas? si agnosci metuis, cur opus prodis, ne dicam, cur ista conscribis? an maiorum super hoc forsitan exempla sectaris? sed uideo prophetas, euangelistas, apostolos, post etiam authenticorum plurimos tractatores sua propriis uoluminibus nomina praenotasse, alios etiam operum suorum propriis uocabulis inchoasse principia, ut est illud: Petrus apostolus Christi, et Paulus, nec non alii atque alii fundatores ecclesiae atque eruditores: uidelicet praecauenda fore nouerant apocryphorum uana uel noxia. sed ne sic quidem fallacium temerariorum uitari figmenta potuerunt. hinc est quod pleraque Pauli multorumque sanctorum uocabulis praenotata sanitas catholicae nostrae non recipit, quia non lenocinio nominis operis meritum pensat, sed auctorem sibi stili ueritate occultatur. enimuero illud, quod ista pagina propalatur eiusdemque auctor occultatur, euidens facit indicium eandem scilicet, a quo sit conposita, fuisse damnatam. nemo enim studet occultari, nisi qui formidat agnosci. ego tamen satis mirari nequeo, cur in eodem uitandae noxae non fuerit studium, in quo subprimendi nominis potuit esse indicium.

Iii. Qvod Divinitas Inpassibilis Nvlli Prorsvs Adpectvi Svbiaceat

Sed ad propositum reuertentes ipsa praefati operis uerba uideamus: ad illum uidelicet cui talia destinat, quem perinde atque se celatum studuit, sicait: quaeris a me quo modo iuxta substantiam dei in epistula quadam dictum sit, et hic, nec quae, nec cuius, nec ad quem, nec de quo epistula foret indicatum uoluit. continuatque de deo: nil sensit patientis sensu, sed sensit conpatientis adfectu. subiungit istud nec philosophos ignorasse: quia, inquit, in homine diuersae adfectiones, id est, iustitia, misericordia, sanctitas res accidentes sunt et ideo adfectus uocantur. deus uero his non passibiliter adficitur.s o non passibiliter!s o adficitur! quo adficitur, si non patitur? cur tam celer est memoria tua ad obliuionem eorum etiam ipse quae protuleris P iustitiam et misericordiam, quia in homine accidentiae sint, adfectus esse dixisti. igitur si in homine, quia accidentiae sunt, adfectus sunt, in deo quia accidentiae non sunt, adfectus non -sunt. non ergo sensit conpatientis adfectu, in quo quia accidentia non fuit, adfectus esse non potuit. sedadicis: ergo quod in homine adfectus et gratia, in deo uirtus est et natura. at quae in deo uirtus est, cum data fuerit homini, non est uirtus? deus enim procul dubio uirtus est, qui si inmutabilis est, etiam cum se homini dederit, uirtus in homine est. ergo quod in deo uirtus est, et in homine uirtus est hoc tantum differens, quod illic substantialiter, hic accessibiliter. unde dominus ad apostolos: sedete, inquit, in ciuitate, quoad usque induamini uirtute ex alto, et propheta: diligam te, domine, uirtus mea. tu uero deum in se uirtutem esse et in homine dicis non esse. sed talis sententiae causa luce liquidior est: sequitur scilicet, ut quem dicis adfici, adstruas commutari.

Ac mihi primum proprietas huius nominis maxime discutienda est. adfectus nempe ab eo dicitur quod aliquid adficiat, quidquid autem adficitur, patitur. pati uero non est nisi passibilis creataeque substantiae, quae quoniam a summa. essentia, quae deus est, ut exsisteret, uocata de nihilo est inter illud, de quo facta, et illud, a quo facta est, media: ita substantiam adfici potest at proficiat, sicut inferioribus ut deficiat. de anima quippe loquor humana. igitur nec nihilum adfici aliquo pacto potest, quia substantiam non habet, nec deus, quia detrimenta non sentit augmentaue non recipit. adficiuntur autem media, sicut supra dictum est, uel profectu uel defectu. enim uero quidquid adficitur patitur, et quidquid patitur non esse deum nemo sanorum infitias ierit, quia utrumque mutuo reciprocat, ut nec mutabile nisi passibile, nec passibile possit esse nisi mutabile. quod autem philosophorum testimonio misericordiam atque iustitiam et istius modi bona adfectiones passibilis dicit esse creaturae easdemque in deo essentialiter, non accessibiliter, haud intendit animo sibi semet aduersa proferre, quia adfectio accessio est non autem aliquid deo accidit: igitur adfectioni non subiacet. nam quidquid adficitur, contrariis congruentibusque pariter obnoxium ambifariae subditur passioni. quocirca si summa diuinitas sensit conpatientis adfectu, etiam malae passionis subiacet stimulo. sensit dicis: utique sentire accidens eius est, qui ante non sensit. aeternitati autem, quia passionem Christi sempiterne sciuit, ut pote quam ipsa disposuit, passionis tempore noui nihil, quod nosset, ne dicam quod sentiret, accessit.

Sed quid nunc ego de adfectu disseram eundemque inpassibilem fore disputando conuincam, cum is ipse cui entradieimus, haud dubie fassus sit crucifixo homini deum fuisse conpassum ? quidnam, quaeso, istud est: non sensit patientis sensu, sed sensit conpatientis adfectu ? quid est sensit, quidue non sensit? aut quo modo passus est, si non sensit? numquid si quispiam dicat: ambulat ille, et ille coambulat, aut: loquitur ille, et ille conloquitur, nonne et conloquentem loqui et coambulantem ambulare significat? aut si quis aiat: mortuus ille est, et ille commortuus, nonne utrumque mortuum fuisse confirmat? nam qui commoritur, utique moritur. ergo et qui conpatitur, utique patitur. passa est igitur, si conpassa diuinitas, ergo fortassis et mortua, aut si istud etiam cogitatu nefas est: non ergo passus est deus, igitur nec adfectus. ubi est nunc conpatientis adfectus?

Post subicit, quid prophetico spiritu ueterum quique sanctorum proterrendis coercendisque carnaliter humanitusque sapientibus tropice prophetauerint, inquiens scriptum: domine, ne in ira tua arguas me, et: iurauit dominus, nec eum paenitebit. abhinc superius etiam per philosophos accidentias deo non obicit et hic per prophetas etiam uitiorum necessitates inponit, quia res, quae figuraliter accipiendae sunt, nisi sollerter intro inspiciantur, non ad uiuificantem spiritum peruenitur, sed in occidente littera remanetur. secilicet scilicet, ut incontaminabilem praecelsae diuinitatis essentiam passibilem fore credamus, si uaticinia prophetarum allegoricis animata secretis in litterae tantum corpore cogitemus. quia cum propheticis oraculis uel irasci uel paenitere memoratur, effectus harum uidelicet passionum

considerandi sunt, non adfectus. porro qui neotericus scriptor iuxta propheticae locutionis exemplum meditatiunculas suas autumat debere pensari, non tractatorem profitetur se iste, sed uatem, cum uirginis partus ora uatum obseraverit, ut uaticinia reseraret. secus igitur est ac ratio postulat, mystico prophetarum stilo texere periodos oratorias, quo fit ut ille qui aliena expositurum se spondet, non possit exponi. igitur aut uatum uerbis non utere aut uaticinare. nequaquam profecto conducit uel praesenti uaticinium tempori uel prophetica locutio tractatori. quocirca quidquid in defensionem tui ex prophetico sermone mutuatus es, aduersatur tibi potius quam opitulatur, quia uel quaesita defensio fatetur inbecillitatem uel incongruens patrocinium non purgat errorem.

Intemerabilis ergo diuinitas haudquaquam recte adfici dicitur, quia effectus est ab opifice, adfectus in opere. quando enim deus quempiam temporaliter punit, aeterno consilio ille utique patitur qui punitur. pateretur aliquid et deus, si uel temporaliter cuiuspiam peccata cognosceret uel eundem ad exercendam iustitiam iracundia commoueret. omne etenim temporaneum mobile atque mutabile inmutabilis et stans sempiternitas includit adficiens salubriter aliqua, iudicialiter aliqua adfici sinens, ipsa ab omni adfectu uel motu temporis et loci satis aliena, praedita illo tantum motu qui stabilis dicitur, ex qua et per quam et in qua est omne quod solo tempore et ab ipsa tantum mouetur, et omne quod et per tempus et locum ab illa mouetur neque solo tantum tempore. sed istinc alias. nunc autem missa facientes, quae talia profecto sunt merito uel uiribus, ut eadem inprobari sit iustum, inpugnari non necessarium, ad testimonia illa ueniamus, quae ex apostolo in patrocinium sui mutuatus est. ait enim, cur dici non possit: sensit conpatientis adfectu, quando apostolus dicendum putauit: numquam dominum gloriae crucifixissent, cum, sicut lux nullam sentire possit plagam uulneris, ita et auctor lucis nullam poenam senserit passionis. potest ergo dici: sed sensit conpatientis adfectu. potest quidem, quia omnia licent, sed non debet, quia non omnia aedificant.

Risum tamen in isto conparationum ac prolocutionum tuarum genere tenere uix possum. paulo prius adstruxeras deum desinere esse uirtutem idcircoque mutari, nunc itidem sententia flaccente declamas quod sicut lux nullam sentire possit plagam uulneris, ita et auctor lucis nullam poenam senserit passionis. ergo plagam lux sola sentit. numquidnam terra ant aqua aut aer cuiuspiam uulneris plagam sentit, aut lux fortassis animata sit, ant quodlibet corpus inanimum sentire potest, aut corpus est ullum, quod etsi uulnus non sentit, uulnerari non possit? uulnerari igitur lux potest, etsi sentire non potest, quia sicut nox inmissu luminis rumpitur, ita lux tenebris uulneratur. unde iucundissimis Asclepiadeis lusit poeta notissimus dicens: absentemque diem lux agit aemula, quam nox cum lacero uicta fugit peplo. quid dicis, ut lux plagam non sentit, ita diuinitas uulnus in passione non sensit? si ita est, uulnerari ergo potuit, etsi sentire non potuit, unumque fuit insensibilitatis, aliud corruptibilitatis. non enim pro incorruptibilitate non doluit, si uulnerari po-

tuit, quia lux et insensibilis est pariter et uulnerabilis. uide ne forsitan iste sit quem nobis adprobandum rere alti prolapsus erroris. tu dicis lucem corpoream homini communem simul et pecori eatenus, ut deum non sentire uulnus inflictum et quamlibet pulchrum corpus, corpus tamen summo incorporeo non adsimilas, sed exaequas, et in tam plectibili sententia non innocentiae tantum priuilegium tibi, sed laudis adrogas et nos, quia similitudinem dei, ut eius sicuti est similitudo sit, incorpoream dicamus, extra fidem. fore pronuntias. sed hinc postmodum, de adfectu interim disseramus. ergone si sic crucifixus est Christus, ut summae diuinitatis uniuerso mundo intemerabilis incorruptibilitas crucifixa credatur, dicas uelim, nisi iniuriosum est, quem post humilitatem mortis a summo deo, id est ipsa trinitate exaltatum esse credi sit licitum, cui nomen, quod supra omne sit nomen, fuisse conlatum? illi nempe arbitror, qui oboediens factus usque ad mortem propter ineffabilis humilitatis oboedientiam ineffabiliter sublimatus in gloriam est dei patris. aude sis non fateri eundem gloriae dominum quem fateris hominis filium. uerum tu illo, quo dictum est: numquam dominum gloriae crucifixissent, in id uti uoles, ut haud dubie credatur, quod ipsa diuinitas queat adfici, \' si potuit crucifigi. igitur aperto proloquio manifestasti sententiam tuam. nam cum idcirco adfici deum inreprehensibiliter te dixisse arbitreris, quoniam gloriae dominum crucifixum apostolus dicit, et crucifixum gloriae dominum sic accipi ueritas suadeat, ne diuinitas crucifixa credatur, tu uero adfici diuinitatem obnixius argumentere, defensitandi erroris studio haud animaduertis poenale illud, quod in homine Christo persequentium scelus exercuit, ipsi inuiolabili diuinitati inflictum fuisse te dicere. quod si ita est, pati pro hominibus deus et non adsumpto potuit homine, quia si in homine passibilis, et extra hominem potuit esse passibilis. sed eundem forte contendas substantiae humanae contagione mutatum. idcircoque post adsumptum hominem factum fuisse passibilem. non igitur incorruptibilis deus, quia quidquid deteriorari potest et corrumpi profecto potest sed corrumpi diuinitas non potest nec commutari, igitur nec pati potest.

Nunc porro superest, ut quoniam Christus homo uerus deus uerus ex duplici substantia una persona et deus homo et homo deus est, idem gloriae dominus et non sit crucifixus pro inuiolabili diuinitate et crucifixus sit in homine pro unitate personae. itaque miro atque incogitabili modo passus est [homo] deus, et non est passa diuinitas. cerne nunc igitur in id tantum temet apostoli testimonium uindicasse, non ut ex eodem robur sententia tua capesseret, sed ut scaeuae sententiae prauitas non lateret. tu scilicet uelut stipulante tibi per apostolum ueritate adfici diuinitatem dicis, sed apostolus crucifixum gloriae dominum in ea sui parte cogit intellegi, qua potuit crucifigi. tibi igitur, tibi admodum soli haec relicta sententia est, ut intemerabilis atque inaestimata diuinitas flagris caesa, clauis transfixa, lancea transfossa, doloribus adfecta, morte consumpta sit, quia in uno eodemque Christo credi renuis aliud subditum morti, aliud passioni. sed premente ueritate uerba commutas inquiens, quod quibus adficitur creata substantia substantialiter in deo

sint, non accessibiliter. perge sic dicere, non interspergat sinceritati ueritatis ignorantia praesumptiosa mendacium. humanum est nempe delinquere: humanum est pro delicto paenitere. nemo periculosius peccauerit, quam qui peccata defendit. namque inpassibilem nullique adfectui subiacentem summae diuinitatis essentiam, ut tute pronuntias, cum philosophis non recusas. proinde intestinum bellum pelle animo. certum tibi sit ueritatem falso, sicut essentiam nihilo, haudquaquam posse misceri. tu autem dicis adfici, quem negas pati. si enim adfectu non caret, inpassibilitatis de eodem fallax professio est alterum alteri inmodice repugnat : qui ait, sensit conpatientis adfectu, non ait, quod in passione nihil senserit. porro tu dicis, quod deus non adficitur passibiliter, ergo adficitur non passibiliter. quod ita est ac si quispiam dicat: stat iste currens, dormit ille uigilans, quod utique non sinit contrariorum discrepantia. quo igitur proficit quod adicis passibiliter, cum dici uerissime plenissimeque possit non adficitur deus? non caret naeuo suspicionis biceps ista prolocutio. deum non dicis pati, quem dicis adfici. adfectio et passio unum idemque significat: aut utrumque sustuleris aut in alterutro utrumque seruaueris. non igitur dicendum est: non adficitur passibiliter deus, sed: non adficitur deus. si non adficitur, non sensit conpatientis adfectu. si sensit conpatientis adfectu, consequenter adficitur..

Aio ego: nullis adficitur diuina substantia, inquis tu: deus non adficitur. redeamus in gratiam. pessumdetur e medio, qui te fortassis ignarum, quod certe patet, incautum respergit infamia. sed superadicis et apostolum dixisse pronuntias de Christo iam in caelis posito: habemus talem pontificem, qui possit conpati infirmitatibus nostris, et tamquam nihil hic sit pertractandum discutiendumque, satisfecisse te proposito gloriaris transiturus ad tertiam quaestionem. igitur ut quam breuissime responsum referam, pontifex ille, credo, est qui principaliter apud diuinitatem summae trinitatis humani generis oblata sacrificat, peccata expiat, uota commendate ipse ergo uerus sacerdos est, quia si filius dei secundum id quod aequalis est patri, non tam preces fundit, quam precantes exaudit, homo potius hic intellegendus est, quem pontificem apostolus dicens nostrisque infirmitatibus conpati pronuntians de ipso itidem dicit: Christus Iesus, qui mortuus est, immo etiam qui et resurrexit, qui est in dextera dei, qui etiam interpellat pronobis. ille ergo pontifex conpatitur nobis, qui et interpellat pro nobis. ille uero . qui interpellanti adnuit, ipsa trinitas non haberet utique quem sibi interpellare necessarium foret, si pati, aut adfici ullatenus posset. iamne intellegis aduersum potius ueritatis testimonium in patrocinium falsitatis adsumi ? quoniam si quid huius modi, sicut supra diximus, in diuinis uoluminibus inuenitur, ad unitatem personae referendum est, quia sicut anima et corpus ex diuersa substantia unus est homo, ita deus et homo ex diuersa substantia unus est Christus. ac per hoc cum sit unus ex diuersa substantia, ipse se quodam modo petit, ipse se quodam modo pro nobis exaudit. innumera sunt quae super hoc dici promptissimum sit, sed quoniam non inpendio emolienda sunt, quae per se labascunt; in praesentiarum de his ista sufficiant.

Iiii. Abhinc De Statv Animae Dispvtat

Status nunc animae humanae, hoc est imaginis diuinae uocatur in dubium. haec nempe est tertia illa quaestio, qua iste necessarius meus discernendarum naturarum causas ingressus spiritum uitae corpus esse pronuntiat adstruens se super hoc praeiudicatae auctoritatis patrum scita proferre, quos quidem non tam aliquid sibi perceptu mentis cognitum definisse, quam quaedam opinatos fuisse commemorat. et quia ipse, quantum loquitur, non tam probatae rationi aut intemerandae auctoritati, sed humanae magis opinioni concessit, id inpenso opere nititur, ut spreta auctoritate diuina, omissa quoque ratione perspicua, clausis ut aiunt oculis sibimet adsentiamur. Quicumque de deo ueraciter ac pie sentiunt, nihil ab eo non creatum, quod creari oportuerit, consequenter intellegunt. causa enim creandarum rerum bonitas creatoris est, qui creare potens uniuersa quae uelit ut nihil bonitatis exercuisset, si nihil creasset, ita semiplena benignitate usus esset, si semiplenum aliquid condidisset. mirum autem uidetur subplemento rerum defore aliquid, si rosae flosculus non exsisteret, et non defore si incorporea substantia non esset creata. ne ergo non minimum aliquid, sed uel potissimum deforet creaturae plenitudini, debuit incorporea quoque substantia creari sed ad creatoris forte referatur iniuriam, si incorporeum aliquid ac sibi simile condidisse dicatur, quia simile deo nihil inuenitur in corpore. sed ab ipso deo similitudo dei anima dicitur humana, in corpore autem nulla esse potest similitudo diuina: incorporeum ergo erit, quod deo sit simile, humanus uero animus ad similitudinem dei factus est, incorporeus igitur est animus humanus.

V. Qvod Incorporevm Corporeo Et Inlocale Locali Dignitate Praeponitvr

Omne autem incorporeum corporeo et inlocale locali et insecabile secabili et uiuens non uiuenti in naturae dignitate praeponitur. enimuero creator omnipotentissimus idemque benignissimus substantiam omni corpore potiorem sibique similem si non creauit, quam I creari debuisse iam constitit, aut noluit aut certe non potuit. si noluit et non potuit, omnipotentia caruit. si potuit et noluit, quod etiam cogitatu est nefas, inuidit. non autem potest uel omnipotentia non posse uel bonitas inuidere. creare ergo incorporeum et potuit et uoluit, igitur et creauit. nisi forte dicas fieri non debuisse„ quod ille potuit uelle, qui non potuit uelle, nisi quod debuit facere. quid mihi nunc creatum non esse contendas, quod creari debuisse non dubitas? creari certe debuisse, quia cum creator incorporeus maximum bonum sit, et creatum incorporeum magnum bonum sit, et creatum corpus, quod nisi creatum non est, aliquod bonum sit, a summo deo qui est maximum bonum, sicut creatum est corpus aliquod bonum, ita creari debuit incorporeum magnum bonum, quia non conueniret omnipotenti bono, qui fecit omnia bona ualde, perfectionem plenitudinis rerum uel in minimis truncam facere, non dicam potissima non creare. sed fortassis adstruetur aut incorpoream creaturam bonum non esse aut bonum creari non oportuisse aut quod Oportuerit fieri nequiuisse. sed summum bonum incorporeus

creator, magnum bonum incorporea creatura: oportuit igitur a summo bono fieri magnum bonum, et potuit omnipotens facere, quod debuit bonus uelle. creauit ergo incorpoream substantiam, qui non facere non potuit quod fieri debuit, nisi forte dicatur aliquid debuisse fieri, quod ille non fecerit: consequens ergo erit aliquid illum fecisse, quod non debuerit.

Sed dices mihi: si aliquod incorporeum creatum est, aequiperat ergo creatorem. de uero homine, hoc est de hominis anima quaerimus. non est haec aequalis deo, sed similis: similis utique quantum incorporea incorporeo, inferior quantum creata creatori, similis quantum intellectualis lux luci intellegibili: quantum mutabilis creatura inmutabili creatori dissimilis. aliud namque est ueritas, aliud imago ueritatis. sed sicut rei corporeae nulla imago esse potest nisi corpus, ita nequaquam imago incorporei inuenitur in corpore. nam illic ubi de creatione hominis Moyses loquitur, sic ait: et dixit deus: faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. et fecit hominem ad imaginem et similitudinem suam. ad imaginem dei creauit eum, masculum et feminam. diuinae istud. auctoritatis oraculum nec eloquio eludi potest nec argumento falli nec uirtute uinci nec arte uitiari. si imago dei est humana anima, incorporei uidelicet imago est, si incorporei imago est, incorporea utique ipsa est. at si incorporea non est, incorporei prorsus imago non est. sed incorporei imago est, incorporea igitur est: nam quia creata est, non est deus, quia imago dei est, non est corpus.

Vi. Qvod Cvm Omne Incorporevm Invisibile Sit, Non Avtem Omne Corporevm Visibile Est

Sed subicis a nescio quibus, quorum tamen nominum nobis notitiam subripis, sic doceri, ut alia dicant esse incorporea, alia inuisibilia. tremendae scilicet peritiae tractatores, qui usque ad hoc penetrauere secretum: si alia incorporea sunt, alia inuisibilia, ergo incorporea non sunt inuisibilia. postponendum est igitur incorporeum omni corporeo, quia dicit per apostolum ueritas: quae uidentur, temporalia sunt, quae autem non uidentur, aeterna sunt. uerum tu creatricem creatamque substantiam ita discernis, ut alia sint incorporea, alia inuisibilia. inuisibile igitur omne corporeum, et incorporeum omne uisibile. istic egomet audeo sciscitari, inuisibilisne sit deus anne uisibilis? si corporeum negas, uisibilem non recusas. si inuisibilem dicis, corporeum confiteris. secundum hanc ergo sententiam, quae tibi nobisque sit procul, aeternus inuisibilis incorporeus deus aut incorporeus non erit, aut uisibilis erit et aeternus non erit. quiddam tamen cogitare uoluit, sed eloqui non ualuit patentium nempe causarum doctor ignarus, quem dicere uisum reor esse quaedam corporea quae uideri nequeant, cum sit uniuerso incorporeo proprium non uideri, ac per hoc corporea quaepiam inuisibilia esse posse, porro incorporea nisi inuisibilia esse non posse. nam cum omne incorporeum inuisibile sit, non omne inuisibile incorporeum est. uox enim non uidetur et corpus

est quamquam propter eminentiam uisus etiam quae ad reliquos pertinent sensus uideri dicamus, sicut saepe dicimus: uide quid sonat, cum sonus ad auditum pertineat, non ad uisum, nec tamen ita dicimus: audi quid lucet, quia praeeminentior ceteris sensibus uisus quae inferiorum sunt abusiue sibi uindicat, cum potestatibus eorum potentiam suam non misceat. quocirca et uisibilia sunt omnia quae sentiri quocumque sensu corporis possunt, si ad uisum cuncta referamus, et non omnia uisibilia sunt, si unicuique sensui quod sibi est speciale reddamus. hinc omnia scilicet principalia corpora quae dicuntur elementa procul dubio uisibilia sunt, sentiri experimur. ex quorum metrico pro portione conuentu, conpactis rate dimensionibus, uegetante anima uiuens corpus efficitur, quamquam multa sint, quae animata non sunt et uiuere negari non possunt. sed de eis loquimur, quae non solum uiuunt, sed etiam sentiunt, sicut sunt animata rationis expertia. de quibus paululum disputatione dilata de nobis loquimur.

Igitur cum ex anima simus et corpore atque, ut corpus animus esse non potest, sic animus corpus esse non possit, animus qui sentit in corpore, etsi per uisibile sentit, inuisibiliter sentit. aliud enim est uisus, aliud oculus, aliud aures, aliud auditus, et nares aliud, aliud odoratus, et os aliud, aliud gustus. nec hoc idem manus et tactus. igitur tactu calentia frigentiaque discernimus, ipsum uero sensum tangendi non tangimus. nec frigus illic namque nec calor est. et gustatu dulcia atque amara sentimus, sed gustatum gustare non possumus. nihil enim uel amarum in illo uel dulce est. naribus odores accipimus, olfactum tamen olfactu non capimus, quia nihil olet olfactus, et auribus uoces haurimus, sed cum nihil sonet auditus, ipsum non audimus auditum. coloratas oculis formas adspicimus et oculis quia coloratae formataeque sunt, cernimus, sed uisum, quia nec coloratus nec formatus est, non uidemus: iuge namque uideremus, si luceret uisus, et audiremus semper, si sonaret auditus, et perpetuo odoraremur, si fraglaret olfactus, et indefessim gustaremus, si saperet gustatus, aeternumque tangeremus, si se ipsum tangeret tactus. atque ut de ceteris taceam, si gustari posset gustatus, nemo posset esse ieiunus, nec extrinsecus adhibenda forent in quae semet sensus exsereret, si se ipse sentiret. aliud est ergo membrum per quod sentimus, et sensus aliud quo sentimus, quia inter inuisibile incorporeum et corpus uisibile est illud inuisibile corporeum, quod in nobis uisus, auditus, odoratus, gustus et tactus est: quae quoniam non nisi in animato sunt corpore, ex utriusque diuersi commercio eadem et corporea sunt et inuisibilia trahentia de corpore uisibili ut corporea sint, de incorporeo animo ut sint inuisibilia. non igitur iurta sententiam tuam illud erit inuisibile, quod incorporeum non erit, tamquam incorporeo uisibile et corporeo inuisibile esse sit proprium, quando quidem nihil inuisibile corporis foret, nisi inuisibile illud incorporei inuisibilitas faceret, quia in eodem, sicut supra diximus, homine et incorporeum inuisibile est anima et inuisibile corporeum, quod de corpore uisibili inuisibiliter agit anima.

Vii. Qvod Ex Qvatvor Elementis Constent Qvinqvepertiti Sensvs Corporis

Iam uero quaecumque corporis sensibus tangimus, ita ad quosque eorum quaeque ex illis speciatim pertinent, ut in communionem propriorum alios non admittant. est ergo inter uniuersa corporea solis lux sine dubitatione praestantior. haec ad illud supremum in uniuerso corporeo pertinet elementum, quod ignis dicitur. hinc est quod etiam in corpore humano principalem prae omnibus sensibus locum uisus accepit. ab interno scilicet calore cordis ac iecoris igniculi quidam indefessim scintillantes in cameram capitis quasi in caelum nostri corporis subuolant. ex quibus radii per oculorum media profusi ac lumini extero commixti corporum quae inciderint. repercussu retrouersim cedentes eorundem colores ac formas hauriunt. animaduertis igitur summum in elementis ignem, pulcherrimam in coloribus lucem, praecipuum in sensibus uisum. : hunc merito atque potentia auditus insequitur illi elemento compos, quod Graeci uocant aethera: qui licet aeris sit natura„ tamen quia quasdam quasi faeculentias e supremis suis deor-\’ sum uersus uelut in fundum digerit, purior atque subtilior hunc procellosum aerem et naturaliter nubigenum et loco et dignitate supereminet. hinc est quod purissimus aer faciliorem. et longius potentem facit auditum. nam sicut oculi sine formis corporum atque extrario lumine contemplari nequeunt, sic aures nisi aere aut percusso aut flato non sentiunt. ita et narium sensus, nam sicut aer sonis inficitur, ut in auribus operetur auditum, sic itidem hic ipse inficitur odoribus, ut in naribus faciat odoratum, quibus inesse naturaliter nisi adtracto aere non sentitur. gustandi uero sensus absque humoris adminiculo nequaquam agere se posse hinc euidens facit indicium, quod nihil sapidum, si accipitur lingua arente, sentitur. de tactu uero dubitari non aestimo <imo> elementorum, hoc est terrae esse simillimum.

Age nunc ut ad illud, propter quod ista tractauimus, reuertamur: en uisus et lucem et alia per eandem corpora contemplatur ac sentit. num quidnam sibi aliquid hinc usurpat auditus? rursum meatus aurium sonos et formatas accipiunt uoces. numquid hinc aliquid sibi uindicat uisus ? per antra narium generis innumeri capimus odores, nihil certe de his sentire ualet auditus. forte in saporum exploratione odoratui communicat gustus, aut ad sentienda aspera uel lenia gustus permittit aliquid tactus? ecce uox uisu sensu eminentiore non cernitur, lux perinde non auditur, uox naribus certe non capitur, gustu fraglantia non accipitur, sapor tantum in ore sentitur.

Viii. Qvod Omnis Anima Ex Nvllo Prorsvs Elemento Avt Qvolibet Corpore Sit Facta

Ecce habes omnigenum corpus ex omnibus elementis in fabricam corporis humani aeternae illius musicae uix cogitabilibus modis atque harmoniae ratione permixtum. elige nunc ex quo corporum genere anima sit, si corpus est anima. quia si non aut ex uno horum aut ex aliquibus aut ex omnibus corporibus est anima, non

est corpus. sed quid nunc faciam? quo me uertam acutissimi et doctissimi disputatoris ingenio et arte praeuentus? qui scilicet intellegens nullum corpus esse posse, nisi aut principaliter ex nihilo creatum, sicut elementa sunt corporum, aut ex his analogica ratione formatum, animam corpus esse decernens maluit eandem ex uno principalium corporum fictam quam ex omnibus fuisse conpositam. callido uidelicet cautus ingenio noluit animae substantiam multorum corporum congregare mixtura, ne ex hisdem contracta principiis quibus corpus extrarium, si perinde diceretur potuisse formari, eatenus uideretur posse dissolui. quapropter aerem delegit, ex quo aut cui animam similem fore decernat adiciens testimonium sui nescio cuius auctoris, cuius haec uerba sunt: nonnullae sunt, inquit, spiritales naturae, ut angeli, archangeli ceteraeque uirtutes: ipsa quoque anima nostra uel certe aer iste subtilis, tamen incorporeae nullatenus aestimandae. haeccine mandantur uerba membranis? eo istud agitur negotium, quod agimus? omissis omnibus hac tantum lance pendebit, ut si animam aut ex aere factam aut aeri similem ratio discussa patefecerit, nunc in aduersarii, tunc in magistri sententiam pedibus ut aiunt transeam ueniam deprecaturus erroris mei. sin, ut est et egomet pro ratae ueritatis iure mihi uindico, non humana tantum, sed omnis omnino anima non solum non ex aere, sed ex nullo prorsus (constare) corpore ratiocinando probabitur, fas erit ut nobis aut consentias aut ignoscas.

Viiii. Arqvmentvm Qvod Anima Ex Nvllo Prorsvs Corpore Sit Creata

Iam superius patuit ignis elementum elemento aeris sicut loco, ita etiam potentia praeeminere. quod euidenter ostendit ignis iste terrenus, qui mobilitate uix conprehensibili uelut in regionem suam sursum uersus naturali pondere rapitur. quod si etiam ex hoc non daretur agnosci, uel hinc manifesto posset intellegi, quod omnis aer solis praesentia clarescit et tenebrescit absentia. sed et . illud maximae rationis est, quod aer ignem patitur ut caleat, nec tamen ab aere aliquid patitur ignis ut frigeat. aer quibuslibet uasculis includi et contineri potest, cum hoc prorsus igni non accidat. est ergo ignis aere perspicua ratione praestantior, uisus uero nobis ex igne, qui utique sensus homini belluaeque communis est, sic tamen ut nonnullae inrationales animantes prae hominibus uigeant acumine uidendi. si ergo negari nequit uisus ex igne esse et secundum tuam rationem anima ex aere, eminentior ergo est dignitate substantiae oculus pecudis, quam anima hominis, quia ille ex igne et haec ex aere.

Non inmerito animam localem putat et claustro corporis confirmat includi qui eandem aeriam iudicat. alterutrum nunc igitur eligas oportet: aut deteriorem uisu pecudis animam, si aeriam, aut non aeriam, si praestantiorem. cernis quam facile indoctae figmentum praesumptionis euanuit, praeterquam innumera super hoc argumentari promptissimum est. nempe si aeria est, ergo tenebrae illius corporei huius solis abscessus et lux eius huius ipsius itidem solis aduentus est. falsumque

erit illud, quod euangelista pronuntiat dicens : eratluxuera, quae inluminat omnem hominemuenientem inhunc mundum, et illud quod propheta sub peccatorum persona loquitur: lumen ergo iustitiae non luxit nobis, et sol non est ortus nobis. numquid isti hunc corporeum solem uiuentes in hoc mundo non uiderant, sed incerporales oculi solem incorporeum requirebant P ualde autem mirum uidetur, si lux ista habeat oculos quos inluminet, illa autem uera non habeat: aut si habet. sicuti uere habet unde uideri incorporeum potest, non solum non aerium, sed arbitror non esse corpoream.

X. Qvod Iam Formata Svbstantia Non Potest Dici Materia

Illud iam quale est, quod in ipso disputationis tuae principio admonendum credidisti esse lectorem, ut ad subtiliora illa cogitanda animum praeparet? a summis ad ima, ab incorporeis ad corporea rationalem nostrum conaris abducere et quasi docens nos ad subtilia mentis oculum praeparare paulo post adicis et dicis: quidquid creatum est, materiam uideri, quam corpoream esse decernis. si adhuc creatura materia est, nondum ergo homo formatus est, quia dicitur deo: qui creasti hominem ex materia informi. formarum autem siue minus siue amplius pro qualitate uel genere speciosarum plenus est mundus, materia uero informis est mundusque formatus, non est ergo creatura materia.

Xi. Qvod Omne Incorporevm Sive Corporevm Qvidqvid Est Creatvm Est

Post haec argumentaris ac dicis, idcirco incorporeum creatum nil esse, quia quidquid factori s.uo conprehensibile sit incorporeum esse non. possitsub hac ergo ratione ipse sibi deus ignotus es.t: qui si idcirco incorporeum nihil creauit, ne aliquid creatum notitiam creatoris excederet, cum uel corporeum uel incorporeum nihil nisi praecedente scientia creantis exstiterit, uidelicet quia nihil nesciens fecit, se ipsum ergo prae omnibus nescit, qui incorporaliter antecellit omnem substantiam quam creauit, ac per hoc maior se ipso est, qui sui capax non est. quod quia dici ratione non sinitur, consequens est, ut ideo incorporeum quippiam non creauerit, ne sibi creatum aliquid inconprehensibile esse possit, cum ipse summus incorporeus sibi ignotus esse non possit. uide quam paruo negotio ueritatis calor frigentium uerborum pruinas liquefaciat. et cum discernere nequeas a creato materiam, ab informi formatum, ab aere spiritum, sic imaginem dei pronuntias tamquam potissimorum scitus, qui minimorum probaris ignarus. iam nunc testimoniorum uel maxime penuria coactus de quodam opere sancti Hieronymi capitulum quoddam, quod quidem te constat non intellexisse, subiungis, quo ait: globos siderum corporatos esse spiritus arbitrantur. omnem qui arbitratur dubitare non dubium est. beatum uero Hieronymum de spiritibus corporatis quorundam referre dicis arbitrium: qui si arbitrantium, hoc est dubitantium sequitur forte sententiam, cum eiusdem <quo>que tu sequare, cumque non nisi ab ignorantia proficiscatur dubiets arbitrantis, agnosce te nobis quaerentibus ueritatem 1 pro una quam polliceris scientia multorum nescientias adtulisse. nam cum quasi probatissimo testimonio eius utaris, qui de eis dubitans, quorum testimoniis utitur,

eos dubitantes adfert, quos testes adhibet, quid te posse pronuntiare censendum est, qui ab auctoris tui dubitantis auctore dubio tertius ipse iam dubitas?

XII. QVOD PHILOSOPHOS NON INTELLEGENS GLOBOS SIDERVM CORPORATOS SPIRITVS ARBITRATVS SIT ET ANGELOS CORPORA ESSE DECERNAT.

Istud ego tamen philosophos reperio dicere, qui nonnullis disputationibus adstruunt et ipsos lunae uel solis globos incorporeis uidelicet spiritibus sub diuina quadam mente uegetari. sed oportet agnoscas hoc idem testimonium non solum pro sententia tua contra nos nihil, sed aduersus eandem pro nobis ualere plurimum. quod eo tibi accidit, quia philosophicam non intellegendo sententiam illud pro tua uidelicet parte posuisti, quod probe intellectum non nisi nostris tantum possit partibus suffragari. si enim corporeos spiritus esse dixissent, V in eorundem non definientium, sed arbitrantium potius auctoritate totus nihilominus argumentationis tuae cardo titubaret. cum uero illi non dubitanter, sed scienter, non corporeos, sed corporatos spiritus dixerint, nonne dinoscitur quodcumque est corporatum non esse corporeum? alioquin corporeos, non corporatos spiritus esse dixissent, quia illud est corporeum, quod incorporeus spiritus animat, illud autem incorporeum, quo corpus animatur. quapropter cum dilucide uiuificatum corpus ab, incorporeo uiuificante discreuerint, uidetur mihi quod iste corporis aduocatus aut philosophicam de substantia incorporali sententiam non intellexerit aut nequaquam pro se obiectare debuerit sub ipso sancti Hieronymi nomine.

Sequitur, et adiungit: si angeli, inquit, caelestia etiam corpora ad conparationem dei inmunda esse dicuntur, quid putas homo aestimandus est? quantum uideo, uiolentissimus disputator nec istud intellegit. angelos enim unius credit esse substantiae, ut melius de sideribus sentiat, quae corporatos spiritus iudicat. nam quid hic aliud uir doctus Hieronymus dixisse censebitur, nisi angelorum corpora habilitate sui atque potentia humanis longe praestare corporibus? pariter cum dixit: si angeli, etadiecit: caelestia etiam corpora, duo quaedam intellegi uoluit, angelos et caelestia corpora, quia cum angeli spiritus corporati sint, sunt in caelo quaedam quae sola sunt corpora. igitur euidenter ostendit nullum corpus quamlibet supremum loco, quamlibet potens motu incorporeis posse praeponi. rursum in conparatione gradum faciens dicit: adeo diuinis hominem conparari non posse, ut nec angelus possit. discernit praeterea corpus et carnem, quia cum omnis caro etiam corpus sit, non omne corpus est caro. unde apostolus: alia caro uolucrum, alia caro piscium, alia autem hominum. et corpora caelestia et corpora terrestria, euidenter ostendens terrenum corpus etiam carnem fore, caeleste uero non etiam carnem. ne forte hic aptari conueniat illud quod eundem Hieronymum dicere meminit: globos siderum corporatos esse spiritus arbitrantur, ut ipsa sidera siue angelorum corpora corpora utique caelestia sint, cum illi spiritus qui istis corporati sunt corporei non sint, sicut et deum dicimus incarnatum, et sicut ipsa anima humana incarnatur utique, cum administrandam suscipit carnem. cui quamlibet illud accidat,

quod scriptura testatur dicens: corpus quod corrumpitur, adgrauat animam, non tamen eandem in corpus conuerti credendum est, quamlibet pondere carnis oneretur, quia nec corpus unquam in animae naturam commutabitur, quamlibet eadem uegetante moueatur, alioquin non erit corpus. unde illud quod apostolus dixit: et corpora caelestia et corpora terrestria, utrumnam de angelis an de sideribus an <de> terrenis quibusque corporibus, de quibus non est quaestio, intellegi uoluerit, ex consequentibus adparebit. indisimctim namque mox adicit ac dicit: alia caelestium gloria, alia autem terrestrium. et quae ista caelestia essent corpora, ut euidenter ostenderet: alia, inquit, claritas solis et alia claritas lunae et alia claritas stellarum. stella enim ab stella differt in gloria. ita et resurrectio mortuorum, eandem scilicet docens, quae est in siderum qualitate discrepantia, resuscitatorum corporum fore pro meritorum diuersitate distantiam. hic utique absque ambiguo doctor gentium de sola resurrectione humanorum corporum disputans huius modi conparationibus usus est. nam sic causam loci huius ingreditur: dicit aliquis, quo modo resurgent mortui? quali autem corpore uenient? w et ab hoc loco usque ad istam de sideribus conparationem id ipsum sine alterius cuiusquam causae interiectione persequitur nullam faciens de anima mentionem, ne scilicet illud, quod de selis lunaeue stellarumque, corporum profecto caelestium, differentiis disseruit, scaeuo forte iudicio de animabus dictum quisque sentiret.

Xiii. De Resvrrectione

Nunc ergo si humanum corpus, terrenum scilicet atque moribundum, in id gloriae transformabitur, ut fiat de carnali spiritale secundum apostolum, qui ait: seminatur corpus animale, resurget corpus spiritale, et anima humana sic nunc spiritalis est, ut tamen corpus sit, ergo humana caro transferetur in animae dignitatem, cum facta fuerit corpus spiritale, et anima quae corpori iuste dominata, quae domino pie iusteque famulata est, quae deum fideliter credidit aut fortassis et sciuit, exaequata sibi carne sua ipsa quoque nihil pro substantiae qualitate promouebitur. et ubi est illud, non qui oculum carnis, sed qui oculum cordis mundauerit, deum uidebit? nam beati Mundo corde, quon- \’ iam ipsi deum uidebunt. ergo forsan beatificabitur corpus pro modo suo et anima itidem pro modo suo. illud inmutabitur, ut spiritui per omnia ad nutum seruiat, cui contumax saepe restitit, et haec inmutabitur, ut deum uideat, quem flagrantia castae caritatis inhiauit. et quoniam apostolus spiritum, animam corpusque discreuit inquiens: ut integer spiritus uester et anima et corpus, quia post resurrectionem non animaliter uiuendum est, scilicet ubi non edendum uel bibendum, ubi non dormiendum neque coeundum est, transibit totum animale corpus in spiritale corpus, quia et anima tota transibit in spiritum, et erit totum spiritale corpus propter inhabitantem spiritum. qui utique spiritus si in hac uita concupiuit aduersus carnem et concupiscenti aduersum se carni non cessit, iure in aeternum nihil illo difficultatis sentiet, cuius difficultates caelestis auxilii uirtute superauit, nec par erit ut exaequetur domino, qui eidem cessit inuitus, et in serui statu remaneat, qui uicit uoluntarius. quocirca datur intellegi, quod sicut in hac

uita animae humanae substantia incorporaliter dignitate sui anteit corpus animale, ita post resurrectionem remunerationemque anteibit corpus spiritale. omne autem quod spiritali corpore potius est, corpus ut arbitror non est: ergo iuxta huius necessarii mei tractatum, qui angelos sola esse tantum corpora decernit, humanae substantiae angelica natura erit inferior. certum namque diuina auctoritate retinemus sanctorum corpora, quae inmutari merebuntur in gloriam, angelicis exaequanda corporibus dicente domino: et erunt sicut angeli in caelo. si igitur angeli spiritalia tantum corpora sunt uniusque substantiae et prouehetur corpus humanum ad angelici corporis dignitatem, homo angelo qualitate corporis exaequabitur, dignitate spiritus praeeminebit. quod si, ut est utique, uidetur absurdum, duplex ergo est angelica sicuti est humana substantia: habens corpus totius facilitatis maximaeque pulchritudinis, quod hominibus cum iubetur adpareat, habens incorporeum, quo deum semper uideat iuxta illud euangelicum quo dictum est: quia angeli eorum semper uident faciem patris mei.

Xiiii. Nvllatenvs Spiritvalia Corporeis Ocvlis Videri Posse

Valde autem stupeo quo modo quispiam christianus doctoris praesertim loco definiat cuilibet pulchro, cuilibet sublimi corpori, corpori tamen contemplabilem deum fore et uniuersalem uideri localiter posse, cum deum uidere hoc sit intellegere. intellectum uero localem non esse uel intellegendo cognoscimus, quia si intellectus localis est, locale erit et quod intellegitur. nihil enim locale est, quod non et ipsum locus est. at si intellectus localis et in hoc deus, quia hoc intellegitur deus, ergo localis est deus. quod quia repugnat, intellegere nos oportet, constare hominem ex corporeo et incorporeo, utroque in melius reformando, constare angelum et corpore et spiritu praecipua inter creaturas dignitate formato. spiritus illi namque est omni spiritu creato potentior, corpus illi de potissimo omnium elemento sublimius secundum illud propheticum, ubi angelica substantia duplex sine dubitatione perhibetur, quo dictum est: qui facit angelos suos spiritus et ministros suos ignem urentem. ignem uero non esse spiritum et spiritum perinde ignem non esse manifestum est, quia non istic allegorice aliquid accipiendum est, sicut illud ubi ait dominus: ignem ueni mittere in terram, cum de sancto spiritu diceret. non enim credi fas est animas humanas ad amorem diuinum participatione angelici spiritus inflammari, quia eodem dono bonus est homo, quo bonus est angelus, et eadem dono uterque beatus est. ambo id ipsum eadem uoluntate, eodem scilicet spiritu cupiunt, ambo hoc idem incorporea capacitate percipiunt, et fit homo, angelus et deus unus spiritus iuxta apostolum dicentem: qui adhaeret domino, unus spiritus est. non autem uideo quo pacto corpus incorporeo contemperari queat, ut unus spiritus iure dicatur. si enim corpus est anima, inmutabitur ergo corporeum, ut esse cum incorporeo unum possit, atque ita ad illam rationem necessario reditur, qua. incorporeum aliquid creari potuisse dicitur. nam si potest aliquid ex corporeo incorporeum fieri, potuit et ex nihilo creari, nisi forte dicitur incommutabilis deus ueluti corporascere, ut unum possit esse cum corpore. sed

hoc perditorum quorumpiam fides habeat, quia si ut angelo uel homini adhaerere deo bonum est, non ad creaturam deteriorabitur creator incommutabilis, sed ad creatorem mutabilis creatura proficiet, unde in euangelio dominus dicit: pater, sint isti in nobis unum, sicut et nos sumus unum.

XV. QVOD CORPOREA OMNIA ADIVNCTIONE SVI MAIORA FIANT ET MVLTA QVAM PAVCA, INCORPOREA VERO OMNIA NEC AVGEANTVR IN MVLTIS, NEC MINVANTVR IN SINGVLIS.

Nec uero credi licet quorumque coniunctionem corporum unitatem trinitatis imitari aut eidem inconfusibiliter posse misceri. patet enim liquido quodlibet unum corpus paris corporis adiunctione duplicari, esse illic sursum deorsum, dextrum sinistrum, anterius atque posterius, esse illic pro modo magnitudinis longitudinem, latitudinem, altitudinem. in dei uero ipsa trinitate huius secabilitatis et localitatis partes et spatia esse non dicimus, ad cuius similitudinem unum nos esse secumque uniri nos posse dicit ipse qui fecit, sicut in apostolicis actis legimus, quod unus credentium unusque uolentium erat animus et cor unum. non tamen reor multas animas ita sibi fuisse coniunctas, ut maior quaedam ex multis animabus anima fieret, quia trinitas, per quam et cum qua omnes bonae animae fiunt unum, nec in ulla ex eadem trinitate persona minor est quam in tribus, nec in tribus maior est quam in singulis. sic et animae humanae substantia ad eius imitationem, cuius imago est, nec in multis secundum aliquam molem maior est nec in singulis secundum aliquam molem minor, quia uidelicet potentiae sunt illae, non corpora. creatas autem potentias creatrix utique potentia iure supereminet eo ipso uel maxime quo creauit. nam et animam anima praestantiorem saepe et experimur et didicimus, nec tamen eandem, quam secundum potentiam praestantiorem didicimus, secundum molem, quae nulla illi est, credimus esse maiorem. illud etiam nec te arbitror diffiteri quamlibet. multas animas perfecte sapientes non plus sapere idem una anima perfecte sapiente, nec quod una omnimodis uolet anima, multas id omnimodis nolendo plus uelle, nec quod quaecumque optime meminerit, multas melius memoriae tenacitate meminisse. corpus uero et plus habet ponderis magnum quam paruum, et ualidior corporum multitudo quam paucitas, et fortius quippiam manus multae, quam singulae uel retinent uel sustinent uel propellunt. nunc consequentia disquiramus.

Xvi. Qvod Animae Incorporeae Sint

Habent, inquis, animae secundum se corpus quo subsistunt, licet multum et inconparabiliter tenuius quam nostra sunt corpora. accipiatur ita, si ita est. illud respondeas uelim, quia est iste qui dicit: habet anima corpus inconparabiliter tenuius, quam nostra sunt corpora? si animae uerba ista sunt, quod corpus esse suum dicit, quod ipsa est, aut istud quod sentificat uegetatque carnale ? ipsa enim dicit anima: tenuius est corpus animae, quam corpus meum. quod est corpus quod suum dicat anima, nisi illud quod ipsa est, si corpus est anima? aut igitur anima corpus est nec recte corpus istud carneum suum dicit, quia potius illud est suum quod ipsa

est, aut si istud corpus animae corpus est, ipsa, at datur intellegi, non est corpus. post hinc itidem consultori suo sic loquitur : obicis mihi ideo animam non esse corpoream, quia nec localis sit nec qualitate aut quantitate subsistat : quantitatti periculi sit ita credere, in consequentibus demonstrabimus. nunc uero in hoc tractatus nostri statu habita discussione pendebit, ut si nec localis sit nec quantitati subiaceat, esse eam indubie incorpoream credas. si uero eam demonstrauerimus quantitate determinari locoue concludi, consequenter eam etiam corpore contineri nec ipse iam dubites. statum nempe tractatus tui in articuli istius condicione posuisti, ut si localis et quantitati subiacens anima probari possit, consequenter etiam corporea crederetur, quam tamen paulo post intra pectoris officinam uarietates cogitationum suarum fingere et motus agitare pronuntias.

Xvii. De Vita Qvod Anima Inlocaliter Vivificet Corpvs

Ac primum quaeso respondeas, ipsa anima quo in loco sit corporis: in toto est an in parte ? si in parte est, quem ad modum uniuersum ubique corpus mouet atque sentificat? si in toto est, quo modo intra solius pectoris officinam cogitationes suas fingit et motus exercet? an forsitan non solum in pectore est, sed etiam in capite, nec in capite tantum, sed in planta atque in ossibus? et ubicumque animam localiter esse credis, illic etiam localiter sapere et localiter cogitare fateberis, et quoniam, si corporea est, eatenus inest corpori, ut, sieut aqua utrem, minore sui parte minores partes eius inpleat et maiore maiores, necessario sequitur, ut maior illi cogitatio in pectore sit et minor in digito. atque ita quotam partem quisque corporis uiuentis absciderit, totam quoque partem animae uege* tantis abscidit, ae per hoc non tanta erit in anima utique debili uel cogitandi uis uel potentia reminiscendi. aerem namque, ex quo ant cui similem animam esse pronuntias, diuiduum secabilemque nemo dubitat nam et cum flamus et renamus, particulas eius haurimus et reddimus, quas in pastum totius corporis uenae illae capiunt, quas ἀρτηιας Graeci uocant, per quas idem aer in temperamentum trium elementorum pulmonum quoque indefessa agitatione dispergitur. sed si haustus aer iuxta sententiam tuam ad animae pertinet pastum, quia scilicet res aeria conuenienter alitur aere, ergo sicut supra dictum est cum corpore quod uegetat recipit sectionem. uis certe memoriae ad totam sine quaestione pertinet animam. omne porro corpus quamlibet magnum, quamlibet paruum secari profecto potest, quod idcirco illi accidit, quia partibus constat. nam quidquid partem habet, potest utique diuidi, quia pars potest a parte diuelli. quapropter si corpus est anima, recipit utique sectionem: si recipit sectionem, recipit inminutionem: si inminutionem recipit, perdita quisque uiui corporis parte animae quoque perdit partem. cum parte uero animae perit pars memoriae, anima ergo, cuius inminuta substantia est, minus debet utique meminisse. ac per hoc si localis est anima, multimoda. potest sectione comminui et frequentia comminutionis aboleri. sed quia istud mens sana, ne dicam docta, non recipit, ut inlocalitas animae, quantum per nos sub ope diuina proferri potuerit, magis adpareat, de

motibus disseramus, quia dubium non erit, sicut corpus est quod mouetur localiter ita non esse corpus quod localiter. non mouetur.

Xviii. Tres Esse Motvs

Tres ergo esse motus, stabilem, inlocalem localemque iam notum est. stabilis motus dei est, inlocalis animae, localis corporis. stabilis motus est quod deus creaturam non semper fecit, sed tamen eandem non noua uoluntate tunc creare uoluit cum creauit, quia semper tunc uoluit creare cum fecit. tunc temporis significatio est, semper non ad tempus pertinet. tunc ergo istud ad principium temporis pertinet, non ad tempus, quia temporaneum motum stabilitas sempiternae uoluntatis includit, ac per hoc semper tunc uelle stabilis motus est. hic oportet accipias nihil moueri posse nisi ab inmoto, atque ut id doceamus exemplo, digitum certe nisi stante manu mouere non possumus, . motus autem brachii ab humeri stabilitate est. et ut non diutius inmoremur, in gradiendo utique pes unus figendus est, ut alter promoueri queat. tene istud cum paulisper animi motum a corporis motu discernimus. nam sicut, ut supra dictum est, deus stabiliter mouetur, sic anima temporaliter. temporale est autem, quod paulo ante superba, nunc humilis, prius laeta, nunc tristis, dilexit ante, nunc odit, prius aliquid oblita, nunc meminit. huius modi autem motibus animae non communicat corpus, quibus inmoto nihilominus corpore mouetur, unde datur intellegi animam per tempus inlocaliter moueri atque ab eadem corpus et temporaliter et localiter moueri, eandem uero a corpore localiter non moueri.

Atque ut hoc ipsum, si quo modo queam, uerbis planum faciam, adtentiorem mihi lectorem opus est. ecce ad aliquid scribendum uel fabrefaciendum ut manus moueatur animae nutus intenditur. anima conspicatur incorporeas inlocaliter formas, quibus indissociabiliter iuncta siue superiecta subie* ctis sine subiecta superiectis et membrum tota monet et formarum ueritatem tota conspicit et totum praeter hoc corpus ubique tota sentificat. cum ergo, ut dictum est, aeternis illis hisdemque semper formis intenta ad exempla earundem formarum tetragonum siue hexagonum uel rotundum corporeum per corpus efficere molitur, certe si aliorsum mentem oculum scilicet suum uerterit, ut puta uolens quadrum facere rotundum cogitet aut uolens scribere Pauli nomen cogitet nomen Simonis: nonne protinus ad id exprimendum siue figurandum agitur motus membri, ad quod cogitandum transiit nutus animi? stabit ergo anima in contemplatione formarum ut moueat corpus in figuratione formabilium, quae formarum ueritas nisi rationali conspicabilis non est. stat enim omnis anima in adpetitu rationalis et in consilio. non autem credibile est quod, cum nutu animae scriptoris manus ad scribendum mouetur, anima quoque manus agitatione moueatur, quae nisi literarum formas inmobiliter atque inlocaliter adspiceret, easdem motu digitorum localiter formare non posset.

Sed forsitan diois: illa pars animae, quae in scribentis digitis est mouetur, et reliqua non mouetur. hoc illi porro contendunt qui animam partilem putant, quamquam indissociabili consequentia, si corporea foret, partilis foret, quia et partile quod corporeum et corporeum omne quod partile. inquiramus igitur disicine in partes animus queat, ut moueri parte sui pro corporis parte possit necne uideamus. ac primum illud excutiendae quaestionis huius potissimumque sit nobis, ut, si habet partes animus, secari possit in partes. aduertamus ergo animo, quod nullum corpus aut tangi simul totum aut simul tangere totum potest, et anima in suis quibusque motibus uel actibus tota simul est. nam, ut supra disputauimus, omne corpus quamlibet maximum quamlibet minimum habet longitudinem latitudinem et altitudinem. subiacet autem pro numero partium sex utique motibus. mouetur autem omne corpus sursum deorsum, in dextrum ac sinistrum, priorsus et retrorsus. mouetur autem etiam motu septimo, sicut est rotae et sphaeroidis, qui perfectus motus ad aeternitatis indicium a se et per se et in se peragitur. omne igitur corpus, ut diximus, sex partes habens, sex motibus subiacens habet utique pro crassitudine sui aliquid etiam medium. exteriora namque in corporibus omnino nulla essent, si interna quoque non essent. quodlibet ergo corpus etiamsi clausum manu in exterioribus suis per totum tangatur, in interioribus certe non tangitur. hinc patet omne corpus totum simul tangi non posse, nec uno in loco esse quamlibet minimum totum posse, ut puta granum papaueris aut quotalibet pars grani ipsius quod illic non habet inferiora sua ubi superiora, nec illic dextra ubi sinistra, nec anteriora illic ubi posteriora certum est. anima uero et tota per cor pus uidet et tota uisorum recolit et tota audit et tota sonorum reminiscitur et tota odoratur et tota odorum meminit et tota per linguam atque, ut uolunt alii, per palatum sapores sentit eosdemque discernit et tota tangit lenia quaeque et aspera, tota probat atque inprobat. mirum autem uidetur iuxta necessitatem localitatis temporum, sicut supra disserui, quod anima totum corpus tota uegetat et toto nihilominus uiuente corpore totoque sentiente per minimam partem corporis, quod est uisus, tota simul accipit formas et per eiusdem corporis partem, quod est auditus, tota simul accipit uoces et per exiguum narium membrum sentit tota fraglantias et per gustandi sensum tota diiudicat saporum differentias et calida uel frigida summo tantum digiti tota discernit. si ergo localiter tota adest oculo ut uideat, quo modo omnibus simul sensibus tota non deest, ut ubique tota sentiat et singulas corporis partes non partibus suis, sed tota se uegetet et per diuersum simul tota sentificet? cum ergo haec animam localiter actitare persuaseris, tunc localem mihi eandem uel partilem persuadebis. et tamen haec adhuc omnia homini belluaeque communia sunt.

Xviiii. De Anima Qvia Qvantitati Non Svbiacet

Igitur si inlocalitas animae uel aliquatenus adparuit, cum nondum de principali, hoc est de rationali nostro disputauerim, inin quoquo utiqueutique incorporalitas-incorporalitas atqueatque inlocalitasinlocalitas clariusclarius adparuit : quatenus

anima nec quantitati subiacet disseramus, quamlibet, ubi localitas non est, quantitas esse non possit, quia sibi ita mutuo haec eadem nexa sunt, ut aut utrumque in aliquo esse possit aut neutrum. ex illis Aristotelicis categoriis nulli prorsus subiacet essentia diuina, rursus anima humana non omnibus subiacet, porro corpus quodlibet subiacet omnibus. nam de deo non dicimus qualis est, quia non potest conparari quasi ad aliud, ut dicatur: talis est. nec dicimus quantus est, quia non mole magnus est, nec quid habet, quia nihil non habet, nec quo modo est, quia ipse modus est, nec habitum eius inquirimus, quia continet omnia, nec locum, quia non nisi corpus in loco est, nec tempus, quia sempiternitas est, nec actum, quoniam quietus agit, nec passionem, quia non patitur. iam decima, immo prima est ipsa substantia, de qua haec praedicamenta texuntur.

Xx. Qvod Anima Qvalitatem Recipiat

Humana uero anima sicut quantitatem non recipit, ita subiacet qualitati. nam si de quopiam quale sit corpus eius inquirimus, sic uidelicet qualitas corporis indicatur: flauus est ille, coloratus est, pallet ille uel niger est. sin uero de anima consulamus, ita nobis qualitas eius ostenditur: superba est, humilis est, iracunda, tranquilla est, ualde meminit aut celeriter obliuiscitur. quantitas itidem corporis si quaeratur, iure nobis dicitur: illius in pedes quinque protenditur longitudo, latus est duobus itidem pedibus, habet in crasso tantundem. num quantitas animae istis signatur indieiis, aut in illa longum uel latum uel spissum aliquid inuenitur? quod si ita est, tanto quisque maioris erit animae, quanto corporis corporis, nec umquam perexigui corporis hominem magnanimem uere diceremus, cum ingentis corpulentiae pusillanimes plerumque dicamus. sicut dicimus magnanimus Moyses\', cum rubri maris uias intrepidus ductor intrauit, et populi animi populus), qui hoc ipsum facillimum factum fore deo promittente non credidit. ecce populi totius animo unius hominis animum sine ambiguitate maiorem uidelicet uirtute, non mole, quoniam si mole, maior moles esset uel duarum animarum quam unius, non dico multarum. est ergo in anima qualitas, sed quantitas non est, quoniam quod adfectuum mutabilitati subiacet qualitatem recipit, quod uero non habet molem, non habet quantitatem. hinc est quod emoriens omne corpus animatum non amittit animam, sed dimittit, quia non egreditur quod non includitur, nec amittitur quod non tenetur. si enim tenetur, non amittitur, et si non amitteretur, non moreretur, unde non poetice, sed philosophice Papinius ait:s ...odi artus fragilemque hunc corporis usum. desertorem animi. quod ut magis pateat, hoc ipsum diligentius uentilemus atque ab extremo uiuentium genere ad rationalem quoque uitam ordinatim gradatimque ueniamus, ut tria illa, memoriam consilium uoluntatem, quibus humanae animae confit unitas, uidere possimus, quamlibet rationali atque inrationali meminisse commune sit.

Xxi. Qvod Memoria Rationali Et Inrationali Animae Commvnis Sit Et Omnis Creatvra Sit Homo

Vnde non absque uero dicitur in memoria esse hominis pecudisque confinium. nam et nidos ciconiae atque hirundines post annum reuisunt, et equi stabula repetunt, et canes domi- \' nos recognoscunt. sed quoniam animae belluarum etsi imagines locorum naturaliter retinent, ipsius tamen substantiae suae scientiam non habent, in recordatione corporalium rerum, quas per corporis sensus hauserunt, necessario remanent et ratiocinandi non habentes oculum, non dicam supra se aliquid, sed se ipsas uidere non possunt. gratias ergo, si non quantas debet, at quantas potest, creatori suo totus homo referat, qui illi ineffabilis benignitatis largitate essentiam cum lapidibus, uitam seminalem cum herbis et arboribus, uitam sensualem eandemque animalem cum pecudibus, uitam rationalem cum angelis dedit. igitur ut herbarum quoque et fruticum uitam incorpoream esse pateat eandemque non amitti a corpore, sed dimitti, quaero a te herbas et arbusta utrumne neges uiuere, an forsan dicas his ipsis uiuentibus aliquibus ut uiuant animas inesse. sed animata si essent, motu proprio non carerent, quia sunt quae mouentur motu non proprio. sentirent etiam uulnus inflictum. sed haec talibus non inesse uel de ossuum sectione et capillorum atque unguium praecisione cognoscimus, quae sine ullo sensu doloris abscidimus. est ergo etiam ibi uita, ubi non est anima.

Adspice nunc ad conficiendam hanc ipsam arboris uitam omnium elementorum particulatim semina conuenisse. est illi uidelicet terra in crassitudine, aqua in humore, aer in progressione, ignis in germine. si autem de aere est anima aut aeri similis, ut tu pronuntias, ergo arborem non negabis animatam, quia perspicuum est aeri similem illi inesse naturam. inferiora nempe rato rerum ordine a superioribus adficiuntur: transacto scilicet frigore brumali per conuersionem caeli recursu siderum calor superne ueniens aerem sibi et loco et natura proximum prius adficit. qui quoniam tanto gradu igni cedit, quanto ipse aquis eminet, per radices arborum uel quorumpiam germinum de terrae intimis aquas adtrahit eo quod ignis elementum omnia naturaliter rapiens tepefactum aerem ad se cogit, perque arboris medullam sicut ipse haurit i l aerem, sic aer aquam, sic aqua terram. unde est quod etiam nos per fistulam uel cuiusce modi tibiam adtracto aere aquas indifficulter haurimus, et e puteorum profundis artificiose conpacto machinamento quodam sursum uersus unda. grauior ob naturam cogitur et aeris adminiculo in angustos tubulorum meatus ui conpulsa labrum tenus supra summum putei expressa prolabitur. haec ergo dissonantia contrariorum sibi corporum, ut quodlibet uiuens corpus exsistat, in quandam concinentiam cogitur nutu creatoris. ex his autem elementis quattuor, quae moderate musiceque in arboris uita sibi concinunt, si quid contra mensuram uel superfuit forte uel defuit, aegrescit arbor ipsa primum, dehinc emoritur ueluti uicta languore. cernis istic dissonantibus ab unitatis concinentia corporis partibus uitam potius a corpore deseri, quam corpus a uita dimitti. constat igitur omnem uitam nec localiter abscedere a corpore nec in corpore uelut in loco esse nec localiter corpori accedere.

Hic si causalium rationum secreta rimare, animaduertas licet defore fixis uiuentibus animam, sed non defore incorpoream uitam. atque ut unum aliquod ex omni seminum genere deligamus, granum certe tritici quantae sit magnitudinis scimus eiusdemque capacitate si admodum molem metimur. cuius si quid internum corporeum uidere uelimus, scisso eodem nihil . nisi tantum candentis farris adspicimus, quantum breuis capacitas tenuissimae cutis includit. ecce tibi in spatio corporali summam grani triticei. da tu nunc in hoc eodem granulo corporaliter mihi tumores germinum, herbarum uirentia, calamos stipularum, spicarum hispida, lenia palearum, pinguia frugum atque ex his indefessim multiplicandorum semina seminum, quae omnia in illo sunt granulo causalibus reposita secretis. nunc igitur aut cuncta quae de seminibus prodeunt intra eadem semina corporaliter ostende aut herbarum quoque uitam incorpoream confitere et pronuntia, si placet, corpoream hominis animam et corpoream fruticis uitam. quod quia nemo hominum incolumi potest ferre iudicio, transeamus ad animata uiuentia, quae non solum uiuunt, sed etiam sentiunt.

Est ergo in pecude corruptibile corpus et mortalis anima, quae uitam corporis nec anticipat nec posticipat. uides ergo. uitae seminali, quam in herbis arbustisque repperimus, in corpore pecudis per adpetitus animae sensum motumque tribui, sic tamen, si ipsum corpus conuenienter elementis analogice concinentibus probe ualeat, ut nutibus animae consentaneo motionis concordet obsequio. quo modo autem fit ut anima eodem nutu sanum infirmumque membrum dispariliter moueat? ecce ille laeuae manus uigore ualet, usum dexterae ictu ut adsolet humoris amisit: manus reliquo adhaerens corpori, etsi non in eodem uigore, in eadem permanet specie, nec tamen seruit nutibus animae. quid dicemus, pulsa exinde localiter cessit anima? et quo abiit, quo inde discessit? sed forte ad reliquam partem sui se contulit: sed iam totum corpus inplebat anima, et potest adici pleno quippiam quin superfluat ? ergo fortassis exhalandum est aliquid animae uel eructuandum aut quoquo modo digerendum eo quod non inte- \’ grum corpus non integram capiat animam. haec certe absque. ambiguo consequi necesse est, si corpus est anima. quod quoniam fieri nequaquam potest, illud potius intuere quod non anima imperandi uim perdidit, sed uires seruiendi manus amisit. illo enim ut puta sanguinis inpetu coniuentium elementorum harmonia turbata corpori adimitur seruiendi possibilitas, et animo dominandi accidit difficultas et incipit esse oneri quod erat usui. non tamen anima mouendi uim perdidit, sed membrum conuenienter se necessariae motioni non praebuit, et in quolibet oculis capto, quantum ad animam spectat, remanet uis uidendi corporalia per corpus, sed organi membra deficiunt, quibus potentias suas exserat ad sentienda corporea. sicut ergo ratione perspicua claret liquido non animam membro debili localiter pulsam, sed ab animae intentione uiuaci membrum languore torpens uelut quadam mortis uicinia dissidere: ita cum animalis cuiuspiam corpus dissonantia sui dissederit, recurrentibus ad regiones suas elementorum particulis anima non habens quo intentiones suas explicet pecudis

deperit, humana requiescit ab his tamen tantum motibus, quibus corpus mouebat per loca ipsa per tempus inlocaliter mota.

Non se nunc aliqua ueluti corpuscula oculis mentis obiectent, ut animas positis corporibus quaedam loca aeris aut cuiuslibet elementi occupare credamus. intellectum tuum, si potes, intellege, cui soli cum angelo haec uidere concessum est. num quippiam in intellectu tuo longum, latum aut altum uides? num splendor ullius corporeae lucis ibi rutilat P num aliquis cantilenae modificatus et per tempus fluens canor illic insonat aut euanescentis fraglantiae suauitas halat aut aliquid istic corpulentum sapit aut aliquid molle uel durum localiter tangit? uisus illius clarescit prudentia, tenebrescit insipientia. auditus illius fallacia offenditur, ueritate mulcetur. inlocaliter illi fraglat aequitas, foetet iniquitas, uanitate tabescit, uirtute pinguescit. miser est contubernio stultitiae, beatus conplexu sapientiae. totus igitur oculus est, quia totus uidet et totum quod inspicit uidet, quodlibet autem corpus nec totum uidetur nec totum uidet. totus auditus est, quia totum quod audit totus audit, corpus autem nihil totum audit. et totus odoratur, gustat ac tangit, cum huius modi unitas et potentia in corpore esse non possit. hoc autem idcirco illi suapte natura est, quia ibi hoc est uidere quod audire, hoc audire quod olfacere, hoc olfacere quod gustare, hoc gustare quod tangere. sed occurrunt animae phantasiae corporum, quibus per sensus corporis adfecta non locis, sed fallaciis circumscribitur, et quia illorum tantum meminit, quorum species per corpus accepit, nihil esse credit quidquid tale non fuerit, nec suspirare potest illi patriae, de qua in hanc peregrinationem merito praecipitata est, cum peregrinari se nesciat. peregrinam se uero in corpore scire non poterit, si corpus esse se credit, unde uir ille, quem sui iam substantia non latebat, sicait: cum sumus in corpore, peregrinamur a domino. audemus autem et bonam uoluntatem habemus magis peregrinari a corpore et praesentes esse ad dominum. quid, quaeso, dici clarius potest?, omnia corpora siue crassa uel grauia, ut est aqua uel terra, siue tenuia et lenia, ut est ignis et aer, siue illa quae ex his confiunt seminaliter coeuntibus corporis nomine includi non ambigitur. quidquid autem qualelibet corpus est, dici potest leuius corpus, tenuius corpus, habilius corpus, sublimius corpus, clarius corpus, non tamen potest dici nisi corpus. apostolus autem qui dicit: cum sumus in corpore, peregrinamur a domino, uidetur mihi quod nequaquam peregrinari in corpore animam diceret, ei eandem corpus esse censeret, quia si anima corpus est et peregrinatur in corpore, in sua ergo substantia peregrinatur, nec umquam poterit non peregrinari quae sine se esse non poterit. nulla autem res ipsam se ullatenus amittit, quia non potest quidquam esse post se. facilius enim est aliquid prorsus aboleri ne quidquam sit, quam se et amittere et sibi superesse. ant igitur anima corpus est et fefellit apostolus, aut si peregrinatur in corpore, anima non est corpus.

Xxii. Interrogatio Adhibita Qvaliter Anima Peregrinetvr In Corpore

Subicias his fortassis ac dicas: quo modo hic tan tum peregrinari dicitur anima eo quod sit in corpore? si resurrectionem probe credimus, in illa quoque aeterna patria non sine corporibus futuri simus. hic respondeas uelim, utrumnam idcirco nunc anima peregrina dicatur, quia in corpore, an quia in tali sit corpore? istud nempe corpus, ut supra memoraui, adgrauat animam non illo utique pondere quod pendi potest, quia si illo, eo quisque uiribus plus ualebit, quo magis corpus inedia uel aegritudo tenuauerit unde hoc quoque multum nostris adstipulatur rationibus, quod liquido claret secundum illam uitam, quae nobis cum pecudibus est, hominis animam exeso atque arido quam pasto ac succulento corpore magis onerari. quod eo fit, quia fessum corpus non ita ualet animi nutibus facili motu seruire et onerosa illi est non ponderis grauitas, sed agendi difficultas. ac perinde si belluinam uitam, quam nobis istic inesse manifestum est, cogitamus, corpus istud non adgrauat animam: si uero illam quae cum angelis erit adspicimus, adgrauat animam occupando eam atque inliciendo uel necessariis uel uoluptuosis defigendo eandem in pulchra corpora et a contemplatione summae pulchritudins abducendo. istud ergo quod uel esui aut potui necessario in salutem corporis opus <est, si plus quam opus) inpenditur, uel superflue uoluptatum nugis animus occupatur uel plagis ac doloribus per corpus adfligitur, adgrauari eandem et pro multitudine ac difficultate actionis onerari perspicuum est. et haec est illa peregrinatio, de qua dicit apostolus: cum sumus in corpore, peregrinamur a domino. cum uero ad illam corporis permutationem peruenerit qui meruerit, de qua idem dicit: omnes resurgemus, sed non omnes inmutabimur, non obuiabit tunc nutibus animae corpus animale quod non erit, sed per omnia seruiet spiritale corpus quod erit. sed nec illud quippiam concupiscet indignum, nec haec aliquid imperabit iniustum, et quoniam sancta anima adfectu casto in deum rapitur, animaduerte nec peregrinationem illi localem esse nec patriam. numquid in hac uita deus cum anima non est, etiam si ipsa cum deo non sit ? aliud enim est esse cum deo, aliud non esse sine deo, quia non localiter ad illum uenitur \'.nec localiter ab illo disceditur. proinde anima illa cum deo est, quae uidet, hoc est intellegit deum, et illa cum deo non est, quae utique non intellegit deum. deus autem et intellegenti et non intellegenti adest inlocaliter. sed in tantum istic peregrinatur, in quantum per uoluptatem ac dolores corporis per loca uel tempora, per phantasias et phantasmata a summi boni contemplatione reuocatur, quod tunc ad plene non erit, cum corruptibile hoc induerit inmortalitatem et mortale hoc induerit inmortalitatem.

Quae cum ita sint, peregrinatur anima in corpore, cuius corruptione, debilitate atque indigentia a patria, hoc est a deo separatur. puto autem substantiam, cuius peregrinatio locale est atque corporeum et cuius patria incorporeum et inlocale, non ueraciter dici uel corpoream uel localem. in illo autem peregrinatio non erit, cuius nullo adpetitu prolicietur, nullo renisu occupabitur, nullo pondere praepedietur. patet, ut arbitror, animam non in omni corpore, sed in carnali tantum corpore peregrinari, quia carnale corpus obuiat et spiritale proximat incorporeis. ergo,

ut aliquando de nostra tantum, sicut praelocuti sumus, substantia disseramus, quis potest memoriae solius abyssos intueri et antra penetrare ? in ista mihi est quidquid usquam colorum formarumque uidi, in hac quidquid uerborum uel sonorum per aures accepi, in hac quidquid odorum per nares adtraxi, in hac quidquid saporum diuersitate cognoui, in hac quidquid tactu nuntiante discreui, in hac mihi reposita quodam modo sunt et grammatica, cum de dialecticis dissero, et rhetorica, cum de geometricis, et astrologica, cum de musicis, et hae simul omnes, cum de arithmeticis: iuxta formas partium mundi, quas uideo, de his quas non uideo adminiculante ratione cognoscens incorporea mundum capacitate conplector.

Xxiii. Qvod Anima Incorporea Incorporaliter Videat Per Se, Corporea Vero Per Corpvs

Sed dicis mihi: non mundum memoria conplecteris, sed figuram mundi. uel ex hoc intellege animam non esse corpoream, quia uides eandem nec corporalia corporaliter posse conspicere. huic ergo superpositus est non loco, sed ui ac potentia oculus quidam, qui siue spiritus siue mens siue intellectus unum atque idem est, etsi diuerso nomine dicitur. ergo quod est lapis ad inanimum uiuens, hoc inanimum uiuens ad animatum uiuens, et quod est inanimum uiuens ad animatum uiuens, hoc est animatum uiuens ad uiuentem et intellegentem. administrat inrationalis anima corpus animale in salutem scilicet eius, et administrat. animam rationalem intellectus rationis capax in salutem uidelicet animae rationalis operante atque administrante deo principali potestate et stabili motione atque ininitiato substantiarum cardine primum ut sint, deinceps ut pro modo uel merito taliter sint qualiter esse debere ille constituit, qui non nisi iuste uniuersa disponit. nam sicut de corporibus ibi uel ibi esse propter localitatis necessitatem congrue dicitur, ita de animabus propter inlocalitatem uel qualitatem taliter esse uel taliter iure pronuntiatur, quia sicut uiuenti corpori iucundum est luculentus locus uel temperatus aer, ita uiuificanti animo tranquillitas in cogitatione et securitas a timore. itidem, sicut poenalia sunt corpori tenebrosus locus et asper adtactus, sic animo cogitandi instabilitas et angustiae formidandi. agitur ergo anima non per loca, sed pro adfectuum diuersitate et delecta-. biliter et poenaliter. illud tamen liquet animam sine corpore incorporaliter per adfectus p(ropr)ie uel mulceri uel adfligi posse, corpus sine anima uel suauia uel poenalia sentire non posse. animae igitur corporatae est per corpus sentire corporea eidemque sine corpore uidere incorporea. ergo ut corpus inanimum nihil sentit, ita animus sine corpore corporea uniuersa non sentit. hinc est quod etiam dum corpus administrat atque sentificat, si quando in summa eademque semper adtollitur, ita quodam modo corporeos deserit sensus ab hisdemque inlocaliter abscedit, ut coram posita non uideat, ut iuxta sonantia non audiat, ut percursam legendo paginam non intellegat. adest anima ut per oculum literarum signa colligat eademque in syllabas sociata coniungat ac per uerba distinguat, et non adest ut quid per haec fecerit sciat. lego clare aliquid, pronuntiantem me alter intellegit, qui in id mentis oculum figit, ego uero ipse quid legerim nescio, quia in aliud

anima inlocaliter intenta discessit. denique cum ad memet ipsum uel admonitus redeo, ego ipse sum, qui utique redeo, et ego ipse sum, ad quem redeo, et mecum non fui, quia ad me per interuallum non loci, sed temporis redii, et extra me non fui, quia sine me esse non potui. ipsa istic est anima, ut per oculum quae leguntur uideat, et ipsa istic non est, ut quae leguntur intellegat. aut non saepe usu euenit, ut sine cuiusce modi lectionibus adcommodantes uisum sine relationi cuiuspiam adhibentes auditum, cum haec eadem non minus intellegi quam uideri atque audiri facillimum sit, utroque tamen sensu sonos ac signa capiamus, cum quid haec eadem significent non intellegamus? et tamen rursum in id quod intellectum non erat animi referentes obtutum absque ulla hoc idem difficultate conprehendimus.

Xxiiii. Qvia Non Est Alivd Anima Alivd Memoria Cogitatio Vel Volvntas, Cvm Haec Eadem Vna Sit Anima

Sed subiungis ac dicis: aliud est animae status, aliud is qui de anima nascitur cogitationis adfectus. quam ob rem aut hoc potius aestimandum est, quod si quando sibi aliquid imaginatur, magiscum suis intra semet ipsam motibus occupetur, et si quid aliud est, quod adspicere uidetur, magis ei in recordationis speculo describatur. istud naturam tu putas eius esse, non poenam, idcircoque anima tua in recognitione sui fallitur, quia sibi aduersantia pro se amplectitur et per sensus corporis fallaciarum adfecta. ludibriis eotenus inplicatur errore, ut tamquam absens sibi se quaerat, cum ipsa sit quaerens se. non enim illud est anima quod q guaeritur, sed quo quaeritur: quidquid enim quaerit, extra se est, nec quaerere illi opus est, nisi quod secum non est. ipsa autem secum est, quia sine se nihil est, quaerere se ergo non debuit, quae sine se esse non potuit. quapropter cum se non sine se quaerit, necessario in aliud incurrit, quia non potest se inuenire sine se. haec est illa inlusio, quam qui intellegit dolet ac dolens gemit et cum propheta plangit ac dicit: tota die contristatus ingredior, quoniam anima mea conpleta est inlusionibus. sed istius modi inlusiones in memoria patitur anima, ex qua nihil phantasiarum reuentilare ac proferre posset, nisi easdem a formis corporum per corporeos sensus hausisset, siue enim eadem quae per corpus adtraxit sibimet imaginatur siue ex his quae.uidit illa quae non uidit coniectat atque confingit, certum tamen est imaginari illam intra quendam uentrem memoriae nequaquam posse nisi ea, quae per corpus accepit. et haec illi non naturalia, sed poenalia sunt, ut, quoniam a summo bono quod ei deus est inlecebris pellecta corporeis defluxit in corpus,\\, persuasa patiatur illud intra semet ipsam iuste, quod extra se dilexit iniuste. non ergo mihi tu illud esse animam persuadere uelis, quo perturbari potius eandem uides. illa namque si in status pristini sublimitate mansisset, a quo sponte dilapsa est, numquam contra spiritum caro, nec contra carnem spirtusconcupisset, et si homo uerus, hoc est anima rationalis honorem suum, imaginem scilicet dei intellexisset, numquam insipientibus fuisset conparata iumentis, uidelicet ut animaliter uiueret. hinc est ille prae oculis eius

imaginum corporearum tumultus se semper obiectans, ut si quando uel ad se uel ad deum suum ratiocinando nititur, semper ad corporea phantasiis corporis auocetur.

Tu enim cum dicis aliud esse animam, aliud animae cogitationem, melius fortasse dixisses illa, de quibus cogitat, cum de se non cogitat, non esse animam, ipsam uero cogitationem non esse nisi animam, quia illud, quod subiciendum esse dixisti, eatenus animam solere requiescere, ut prorsus cogitet nihil, caret uero. anima nempe uariare cogitata potest, non cogitare non potest. quid autem illud est quod somniare dicimus, nisi quod ne defesso quidem corpore in somnosque resoluto animae uis a cogitationibus uacat? tota uero ibi est ubi cogitat, quia tota cogitat. uerum tu idcirco uel maxime de animae statu falleris, quia aliud animam, aliud esse animae potentias credis. quod enim cogitat accidens eius est, substantia uero qua cogitat. hoc equidem de uolentate oportet agnoscas. nam sicut tota anima cogitatio est, ita anima tota uoluntas est et quae perfecte uult tota uult, et ut supra dictum est, quaecumque illi uelle accidentia est, ipsum uero uelle substantia est. hinc etiam in sacris literis uoluntatis perfectae definitio, prout illud est, quod ita uel ita uoluit, damnabilis laudabilisue censetur. sic in euangelio dominus: qui uiderit, inquit, mulierem ad concupiscendum eam, iam moechatus est eam in corde suo. et in bonam partem loco alio angelorum uocibus dicitur: gloria in excelsis deo et in terra pax hominibus bonae uoluntatis. ecce dilectio, ut tu arbitraris, animi quaedam portio est, ut ratio docet, animus totus est. si quid ergo toto amore amo, non id ipsum toto animo diligo? et ubi uacat illud quod dicitur: diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua, si animae pars putatur esse dilectio? si enim parte sui diligit anima, non utique tota diligit. sin uero tota diligit, tota absque ambiguitate dilectio est. dicitur enim uereque dicitur, quon- \’ iam deus dilectio est sed dilectio illa talis est, ut nec ipsa diligere nisi bonum nec per eam diligi possit nisi bene. haec autem dilectio, quod est anima humana, propter adfectuum mutabilitatem potest et in superiora, quod ei solus deus est, caelesti cartate flagrare et in inferiora damnabili amore diffluere. quodlibet tamen diligat, si toto amore diligit, tota diligit et, cum tota diligit, tota dilectio est, quae unitas in corpore scilicet non est.

XXV. EXEMPLVM DE GEOMETRICA ARITHMETICA ATQVE DIALECTICA AD ERVDIENDVM LECTOREM IN EA QVAE OBSCVRA SVNT, QVID VIDEAT ANIMA PER SE, QVID PER CORPVS.

Sed dicis: quando absentem carum suum cogitat, numquid uelut ipso conspecto desideriis satisfecit? ista, ut ego conicio atque ut plane probo, potissima admodum causa est, quae temet ignarum perpulit animam referre corpoream. a sensibus quaeso corporis paulisper adtollere ac si uales perspice, quae uel quanta uis uidendi sit animo, et si quid potes animi uisum corporisque discerne. corpus certe nihil uidet, quia nihil utique sentit absque anima, ac per hoc animus corporea per corpus uidet, incorporea per se. haec ipsa nunc, quantum in praesentiarum res

postulat, sequestremus, ut quae sint animi uisa per corpus, quae sine corpore euidenter adpareat. nam qui uel aliquid eruditus est, credo nouerit in geometrica disciplina quid sit punctum quidue linea, sed quia inter eos, qui ista dignabuntur legere, potest esse qui nesciat, de hoc ipso paululum dissertando quaeramus. linea est, ut doctissimi atque excellentes uiri non dixere solum, sed ratiocinando probauere, longitudo simplex, quae in corpore prorsus nequeat inueniri eo quod omne corpus longitudine longum sit, non tamen ipsa sit longitudo neque possit sic esse longum, ut non latum simul altumque sit. quocirca sicut aiunt etiam si araneae filum cogitaueris, quia utique corpus est, non solum longitudinem cogitasti, habet enim pro modo suo indissociabilem longitudinis suae latitudinem atque altitudinem. igitur si, ut fateri ueritas cogit, aliud est longitudo quam latitudo, seposita latitudine solam longitudinem cogitemus. scio autem hanc eandem liquido conspici non esse multorum, quam cum Marcius quoque philosophus negaret mathematico Adrasto se uidere, cum lineas fabrorum nimie uideret: utique non mirum est, inquit Adrastus, quod habes oculos similes fabrorum, ingenium dissimile, Pythagorae. sed non idcirco tardioribus desperandum est, modo ut auctoritati cedamus qui rationem forte non capimus.

Haec ergo de qua loqui instituera m longitudo cum fuerit puncto inchoata punctoque finita, a Graecis γραμμή, a nostris linea dicitur. iam nunc si quid sit longitudo sine latitudine congnoscere ualuisti et lineam longitudine finita formasti, duas aequales lineas sibimet άντιστάας e regione constitue, quod cum feceris, intellege te figuram duabus lineis paribus non fecisse. figura enim dicitur, cum paribus inparibusue lineis capitibus sese contingentibus locus ambitur. duabus ergo paribus lineis sine auersim positis sine capite contingentibus figura non clauditur, tribus uero aequalibus lineis figura fit trigona, et hoc aeterna atque indemutabilis ratio est omni humanae menti uel non admonitae clarens liquido. numquid ergo tribus lineis paribus quae semet mutuo capitibus tangunt fieri umquam nisi trigona poterit? aut istud magis nunc uerum est, quam fuit, aut esse hoc uerum aliquando coepit aut aliquando desinet, aut non est facilius corporeum interire mundum, cuius utique tumidae localesque formae istarum inlocalium incorporaliumque sunt imago formarum, quam ut aliquid ex his uel uariari specie uel transmoueri loco uel senio ueterescere uel quoquo pacto mutari queat? ne ergo per omnes te disciplinae istius minutias traham neue intentionem tuam in adspectandis planarum figurarum uel cuborum uel pyramidarum rationibus teneam, propter circuli perfectionem de una tantum figura, ut adhuc fecimus, breuiter conloquamur.

Circulus fit ex una linea. sed iure nunc illud admoneberis, quod linea sine latitudine atque altitudine perfectior est, quae tamen habet aliquid se ipsa perfectius. punctum nempe principaliter est origo lineae, ab ipso incipitur ipsoque finitur, cum punctum nec oriri a quoquam pateat nec finiri. hoc namque continet in figuris punctum, quod unus in numeris. ista ergo linea, quae transuersim secari potest, scindi per longum. non potest, quia utique si scinditur, habet latitudinem, cum secanda

est, puncto caeditur, cum punctum scilicet non caedatur. perfectior ergo longitudo latitudine, quia latitudo et transuersim et directim recipit sectionem. perfectior latitudo altitudine, quia altitudo non solum findi ac secari, uerum et a latere caedi potest. ergo altitudo sine latitudine et longitudine esse non potest, et ubi haec tria sunt, haud dubie corpus est. latitudo sine longitudine esse non potest, longitudo sine his omnibus esse potest, sed sine puncto esse non. potest. sine his uero punctum semper est nec cuiuspiam ut sit indiget, quia unius nullum potest esse principium. circulus igitur una eademque circumflexa fit linea, sed sicut in trigonis et tetragonis per angulos puncta sunt, quibus figurarum ratio consistit, sic in circulo eius medium puncto possidebitur, ut circulus rata dimensione formetur. nam cum unum circini radium fixeris atque alium a centro extrinsecus circumflexa, adtende quantum potes centri potentiam ab stabili radio illum qui circumagitur radium regere et illic, ubi localiter non est, potentialiter circulum figurare.

Hic si purgata mentis intendas acie, subrutilare tibi iam debet quid sit anima. illud etiam quale est quod, si sensum corporis consulamus, per medium circulum duae pares lineae iuxtim duci posse credantur, cum ratio manifesta conuincat nequaquam per eundem medium duci duas posse nisi una sit breuior? uidetur mihi, sicut superius de trigona patuit, istic quoque circuli ratio insolubilibus atque aeternis manere legibus stabilis. tu mihi nunc dicas uelim, si ista localiter conspicit anima, quid causae est, ut mihi aliquid rotundum, trigonum uel tetragonum in occidente de corporibus formare molienti eadem sine tumore uel motu ratio rotundi uel quadri non desit, cum eodem temporis puncto secundum eandem rotundi et quadrati legem in oriente alius paria de corporibus ualeat fabricare? uidesne uel de his, quae conspicatur anima, quid sit uisus animi? intellegisne intellegibile et intellegens nequaquam posse seiungi? animaduertisne etiam quid intersit inter illas formas, quas corpore cernimus, et istas, quas mente conspicimus? istas esse sempiternum mundum, cuius hic mundus imago sit, unde diuinitus dictum est: praeterit enim figura huius mundi. uides etiam quod cum longitudines, latitudines et altitudines corporum scire nullius propemodum sit momenti, satis esse aliud, unde dicit apostolus oportere nos nosse quid sit latitudo et longitudo, sublimitas et profundum? quid enim mihi proderit uspiam altitudinem corporei caeli quaerere, planorum siderum diastemata uel circulorum uias uel singulorum interualla rimari, quid spatia terrae cognoscere uel abyssi profunda penetrare? non de his me, ut reor, apostolus commonitum uoluit, quae non solum laboriosa sunt, sed etiam noxia si, cum per haec ad aeterna semperque manentia transeundum sit, in his haereatur atque remaneatur.

Reuertere nunc atque intuere omne longum longitudine longum fieri, ipsam uero longitudinem longam dici non posse, ut omne castum castitate castum fieri, ipsam uero castam non dici ullatenus castitatem. cum ergo meram longitudinem contemplari cupis aut cum in trigonum uel hexagonum mentis oculum figis, proice quantum uales ac refuge non solum omne corporeum, sed quidquid simile potest

esse corporeo, et cum trigonam uel tribus punctis ac tribus lineis uel rotundam puncto uel linea conformari incorporaliter atque inlocaliter uideris, uim quoque ac supereminentiam conspice numerorum et intellege uniuersum corporeum numerabile per numeros fieri, ipsos uero numeros non posse numerari. nam quis non dicam eloqui, sed cogitare digne ualeat, quod numerus, cum ex uno et per unum et in uno sit, principium tamen ac finis illius non sit? si enim dixerimus unum numeri esse principium, ipsius unius quod dicemus esse principium P ecce habes principium numeri in principio, ut ex ipsa sit numerus. iam uero si numerare uelimus, adicimus unum uni ut fiant, duo, et unum duobus ut fiant tria, et unum tribus ut fiant quattuor, et deinceps quotiens unum multiplicauerimus, totiens quasi multi singuli in summa ducuntur, ut decies ducti decem et uicies uiginti et centies centum et millies mille nominentur, ut agnoscas omnem numerum ita per unum esse, sicut ex uno procedere. illud uero patet ad finem numeri, qui nullus est prorsus, ueniri non posse, quia trans omnem numerum, qui ex uno et per unum et in uno est, semper est unus. tria tamen ista sunt, cum dicimus ex uno et per unum et in uno, pariter aeterna, perinde inlocalia ubique tota, eidem infinito semper aequalia, quia nullum uere unum maius unumue minus est. haec sunt numerorum inchoantia ducentia perficientia: ipsa nec inchoata nec numerata nec finita, credo, quia sapientiae dei non est numerus. nam cum ex uno et per unum et in uno sit numerus, nec numerari nisi trifariam possit, ut per eundem numerum ordiamur numeremus finiamus, ipse est ternarius totus, per quem omnis est numerus. ecce quod habitat in anima humana: ecce quod oculo cordis uidere concessum est. quo diffugimus, quo distrahimur, cur in nobismet ipsis extra nos sumus? cur patriam nostram localiter quaerimus, de qua utique non ambulando, sed peccando discessimus? cur tenebras splendere credimus, quas uidere ipsum est utique non uidere? ueritatem certe quaerimus: non illam per spatia locorum oportere quaeri, non per corporeum aliquid aestimes inueniri..satis ei corpore non solum tangendo, sed etiam cogitando se separabit qui huic adhaerebit. inlocale certe quaerimus, non illud quaeso per locale quaeramus. fecit sibi ipsa ueritas sui compotem similitudinem. hoc in nobis adferamus illi quod fecit, non conuiciemur deum nostrum dicentes illi: non potuisti facere aliquid simile tui, quia, si corpus sum, similis tui non sum, quia de nobismet ipsis nos ille conuincet.

Xxvi. Secreta Dei Locvtio Ad Animam, Qvaliter Se Debeat Sciscitari

Loquitur enim silentio mihi ueritas et dicit mihi: tu certe qui corpus esse te credis, unde incorporeo uerbo uteris? aliud credo est uerbum tuum, id est consilium tuum, aliud uox uerbi, aliud quod sonat, aliud quod intellegitur. nam sicut uox potest esse sine uerbo, ita est uerbum sine uoce. utitur tamen quodam indumento uocis uerbum tuum, ut insonet auribus, sicut ego indumento carnis, ut uiderer hominibus, et cum loqueris, obsequium uocis aurem tenus meat, uerbum uero inlocaliter ad animam permeat, quia, sicut ad illum cui loqueris accedit, ita a te utique non recedit, et si loquentem te unus audierit, totum uerbum tuum penes te est, totum penes

illum, et si duo audierint, totum audiunt, et si multi, totum, et omnibus totum et singulis totum et tibi totum est noli in te perdere tam magnum munus meum, similitudinem meam, quam tibi benignissime tribui, ut qualiter ad me tenderes, non extra te quaereres. nemo uenit adpatrem, nisi per me, et nemo ad me, nisi quem pater meus adtraxerit, et nemo ad me uel ad patrem uenit, nisi caritas diffundatur in corde eius per spiritum sanctum, qui non nisi bene credenti, bene speranti et bene quaerenti dabitur. ad istam, quod unus deus sumus, tu homo factus es trinitatem, cum dictum est: faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. introinspice te de te ipsa, o humana anima, et te memineris. uide mentem tuam, uide uerbum tuum, uide uoluntatem tuam. nam totum est in mente quod cogitas, et quod totum simul meministi, totum simul cogitas et uis cogitare atque meminisse, hoc est, amas habere mentem et cogitationem. cogitationem ergo tuam cum mente conplecteris, hoc est, cum cogitare te memineris, totam certe cogitationem tuam tota mente conprehendis et totum amorem tuum uel mentem tuam tota cogitatione tua cogitas, cum amare uel meminisse te cogitas, et toto amore tuo eandem totam mentem atque eandem totam cogitationem tuam diligis, cum meminisse et cogitare te diligis. nullus est tamen, qui meminisse et cogitare et hoc ipsum amare non diligat: cum autem tibi in mente est cogitationis et amoris tui, si tanta illa meministi quanta sunt, tanta est mens tua quanta sunt illa, et cum dilectionem uel mentem tuam cogitas, si tanta ea quanta sunt cogitas, tanta est cogitatio tua quanta illa sunt, et si mentem uel cogitationem tuam pro sui modo diligis, haec et amor tuus aequalia certe sunt, et si se singula tota simul uel ament uel cogitent uel meminerint, non maiora erant tota simul tria, quam uel mens tota pariter recolens uel cogitatio tota cognoscens uel amor tota diligens. haec et in te esse ac potius ista te esse me tibi radiante cognosces, si illos mihi oculos quibus me uideri dignor adtuleris. nequaquam me uel incorporeus nisi purgatus uidet, quo minus uideri me a te putes posse, si corpus es? ego et pater et caritas nostra unus deus sumus: tu, mens rationalis et uerbum uel dilectio tua unus es homo ad similitudinem auctoris tui factus, non ad aequalitatem, creatus nempe, non genitus, formatus es ipse, non formator. recede ab his quae infra te sunt minus utique formata, hoc est minus formosa quam tu es, accede formatrici formae, quo possis esse formosior, eidemque semper adiungere, quia. tanto ab illa speciei amplius capies, quanto te illi caritatis pondere magis inpresseris: ab illa scilicet obtinebis imaginis huius indemutabilem statum, a qua sumpsisti principium. haec et talia loquitur ueritas ad aurem cordis intrinsecus admonens nos, ut quoniam ad similitudinem incorporei dei, non ad similitudinem corporei mundi facti sumus, incorporeos nos esse noscamus non solum quia deo incorporeo similes sumus, sed etiam quia corporeo mundo dissimiles. \’

Xxvii. Qvod Anima Caro Svo Absente Etiam Corpore Spiritv Praesens Poterit Esse

Ecce de statu uel uisione rationalis animae infinitarum pro quaestionis magnitu-

dine rationum tactis breuiter potius causis quam satis usque discussis arbitror me de inlocalitate atque incorporalitate animae sufficiens dedisse responsum. tu nunc ita longe disparilem infraque positam euidenter intellegens corpoream uisionem non ulterius isto iacteris incerto, ut si carum tuum, sicut ipse dicis, absentem cogitas, idcirco eundem quia tibi corporaliter non adparet credas absentem, quia si tibi in illa sui parte carus est, qua uterque homines estis et qua uosmet uicario amore diligitis, ita tibi ille praesens est, ut tu ipse tibi. quidquid enim tu es substantialiter, hoc ille est. uisio uero intellectus est animae: si te uides, illum uides qui nihil est aliud quam tu, qui si corporaliter adsisteret, per signa certe corporis agnitionem sui tibi faceret. per quae si illud forte cepisses indicium, quo eundem tibi inimicum potius esse cognosceres, reuerberata utique adfectuum disparilitate anima tua ab eius anima quodam modo resiliret, et in uno corporaliter loco atque in eodem, si potest dici, uestigio satis scilicet essetis uoluntatum diuersitate seiuncti. quod cum ita sit, non arbitror animos sequestratione disici, quos uidemus iunctis corporibus posse separari. ac perinde parum est, quod officiunt corpora mutuis animorum repraesentationibus, si non aut per eadem in se imago dei quaeratur aut ipsa quaerantur. miserum namque est multumque uero contrarium, ut imago dei, id est uerus homo per corpus potius quam per se quaeratur. per se autem quaeritur atque agnoscitur, si per imaginem dei quaeritur, imago autem dei omnis anima rationalis est, proinde qui in se imaginem dei quaerit, tam se quam proximum quaerit, et qui illam in se quaerendo cognouerit, in omni eandem homine recognoscit. tu autem non inmerito carum tuum absentem te habere causaris, in quo corpus diligis, nec aliud quam corpus diligere in illo potes, quem non credis esse nisi corpus. dilige deum tuum, dilige in deo tuo carum tuum, imaginem dei tui. ille te perinde diligendo deum in deo diligat. si uterque unum\’ quaeritis, ad unum tenditis, semper apud inuicem eritis, quia in uno consistitis. non autem uideo quod fieri queat, ut corpora in unum posita praesentia sibi esse possint et animi in uno praesentes sibi esse non possint. sed quoniam liber iste finem flagitat eo quod aliquibus superficie tenus adtactis, quamlibet multa breuitatis studio omissa fecerim, non tamen omnibus pro causae excellentia supersedi, quae post hinc disputanda sunt, principio secundi uoluminis ordiamur.

Clavdiani Mamerti De Statv Animae: Liber Secvndvs — I. Qvia Omnia Contrariorvm Conparatione Facilivs Dinoscvntvr

Saepenumero mecum reputanti mihi, quonam pacto excellentissima ueritas tantum inimicorum semet habere siuerit, post multum de hac eadem quaestione tractatum non inprobabilis ratio, sicuti reor, adparuit: omnia scilicet dinoscuntur melius contrariorum conparatione. sic equidem lumen tenebris, sic uita morti, sic ueritas falsitati conposita plus delectat oportuit igitur hasce distantias pro suis qualitatibus sibi compotes sortiri patronos, ut nec falsi lateret defensor nec ueri uacaret adsertor itaque fieret, ut nec ille magis noceret occultus, nec otiosus iste torperet.

Ii. Qvo Modo Philosophi Mvndi Indagaverint Veritatem Gradatimqve Ad Devm Vsqve Pervenerint

Et quoniam mortalium generi natura datum est ut abstrusa fortius quaerat, ut negata magis ambiat, ut tardius adepta plus diligat, eo flagrantius ametur ueritas quo uel diutius desideratur uel laboriosius quaeritur uel tardius inuenitur, hinc factum est ut philosophi quoque excellentibus ingeniis, multimodis doctrinis, pugnantibus sententiis, longis saeculis de eadem ueritate quaerentes ab usque Pythagora Italico uel Ionico Thalete semper exstiterint, qui dissidentibus aliis uel in parte operis aliquid dignum tanta indage sentirent. unde etiam doctor gentium non tam ignaros ueri philosophos iudicat, quam cogniti contemptores accusat inquiens: inuisibilia dei a creatura mundi per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque uirtus eius et diuinitas, ut sint inexcusabiles, quoniam cum cognouissent deum, non sicut deum magnificauerunt. ergo cognouerunt, et ingressa est diuinitatis abditae mens humana secretum transcensisque corporeis omnibus

emirata illum uidelicet uniuersitatis uidit esse creatorem, qui non solum corporea uniuersa praeiret sicut inrationalis anima, neque hanc etiam sicut rationalis antecelleret, sed qui his simul omnibus longe inconparabili potentia praestaret. uidebat enim moueri corpus per loca et tempora, cum uel loco in locum cederet uel aetatem temporis transcursione mutaret. apud se itaque paululum constitit potentiamque sui non sine horrore suspiciens quaerendumne supra se aliquid, an in se esset consistendum sibi dubitauit. sed dubitantem se non esse deum dubitare non potuit, quia causa dubietatis ignoratio esset, non autem nisi ignarus ambigeret, deus uero nihil ignoraret ac per hoc dubitare non posset.

Porro autem se animaduertebat et ignorare necessario et consequenter ambigere adiecto eo quod, etsi non subderetur motioni per locum, moueretur tempore per adfectum, nec principale rerum stabilimentum foret, quod uel loco uel tempore moueri posset, quia nisi per aliud moueri nihil posset, in quo autem uniuersum staret, id in se ipso consisteret. sic in auctore suo altius ratiocinata cognouit illud, quod in superiore libro memoraui, uiditque nisi ab inmoto moueri nihil posse, itaque necessario stare animam ut corpus moueat per tempus et locum, stare uero in se ipso deum, qui mourat animam per tempus, corpus uero per locum pariter et per tempus. et quoniam principio nullum potest esse principium, quod iuxta de inmensitate ac sempiternitate cogitandum est, quia sicut a nullo coepit, ita in nullo consistit, non sine quodam medio ab imis, quod omne corpus est, ad summa, quod deus est, eundum rata se scilicet inter extrema mediam repperit eo quod nec cuiquam corporum similis exsisteret, quia similitudo dei esset, nec eidem aequari deo posset, quia etsi ab illo coepisset, de illo non esset.\’

Animaduertit etiam in rerum plenitudine aliud esse secundum ueritatem quod iudicaret nec iudicaretur, aliud quod iudicaret et iudicaretur, aliud quod iudicaretur nec iudicaret: secundum ueritatem deum iudicare de quo non iudicaretur, animam iudicare et iudicari, corpora iudicari nec iudicare. tunc autem minime falli iudicantem, cum adhaeret illi secundum quod iudicat, tunc maxime cum conlabitur ad illud de quo iudicat. intellexit quoque propter inmutabilem uim contrariorum sicut tenebras luci, sicut essentiae nihilum, ita incorporeo corpus esse contrarium et uidit similitudinem cuiusque rei in contrario esse non posse, quia uidelicet inmota rerum ratio non sinit, ut aliquid uiuat mortuum, uideat caecum, substantia sit simul et nihilum. hic igitur intellegens nonnihil in anima humana esse deo simile, quia sit ille lumen inluminans et haec lumen inluminabile, incorpoream non dubia decreuit illud adiciens, quod si anima corpus esset et haec eadem similitudo dei esset, corporeus ergo deus esset, iusteque maluit propter similitudinem creatoris sublimare creaturam, quam propter eandem similitudinem humiliare creatorem certo cognoscens indissolubiliter nexum, ut duo similia aut utraque incorporea sint aut utraque corporea. esse quoque in rebus substantiuis quaedam non solum specie dissimilia, sed etiam naturali uigore contraria, ut aqua uel flamma est, et haec tamen esse corporea atque hinc mirum fore, si duo dissimilia eademque contraria,

ut est aqua uel flamma, corporea simul esse possint et duo similia eademque conuenientia, quod est deus et anima, incorporea simul esse non possint.

Iii. Philosophis Graecis Vtitvr Testibvs De Corporeis Vel Incorporeis Exemplvm Cameli Et Formicae Proponens

Huius modi igitur rationibus utentium philosophorum quoad potui uoluminibus perdagatis ignobilium plebe reiecta potiores quosque delegi, qui ueritati in praesentiarum testificarentur, quorum quidem ex abundanti est proferre sententias, non quo propriis deficiamur, sed quo magis mirum sit aduersum nos dimicare nostros et extraneos pugnare pro nobis. neque mihi profecto cordi foret mutuum ex his carpere quippiam, nisi iste corporis amicus sola philosophici nominis mentione terriculamenta quaedam nobis scientiae profundioris ostentauisset. ex his igitur, quos contra ueritatem uocat, uocem ueritatis accipiat et geminae primum Graeciae classicum multisona pythagoreorum orum tuba et lituum Platonis exaudiat nec tumescat sola uanitate nominum, sed pinguescat multimoda ueritate rationum. pythagoreorum igitur, quia nihil ipse scriptitauerit, a posteris quaerenda sententia est. in quibus uel potissimum floruisse Philolaum reperio Tarentinum, qui multis uoluminibus de intellegendis rebus et quid quaeque significent oppido obscure dissertans, priusquam de animae substantia decernat, de mensuris ponderibus et numeris iuxta geometricam musicam atque arithmeticam mirifice disputat per haec omne uniuersum exstitisse confirmans, illi uidelicet scripturae consentiens, qua deo dicitur: mensura pondere et numero omnia disposuisti, quam quidem ex diuina lectione sententiam nobis ab aduersario miror obiectam. dicit enim uerbis his: deus, qui ex nihilo fecit omnia, quae sicut opere instituit, ita materia incorporauit, rebus omnibus, inter quas et anima censetur, sicut distribuit pondus numerum atque mensuram, ita <et) posuit quantitatem.

animaduerte, nostri bone cognitor, praesentis saeculi peritum \’ facundumque doctorem: nihil incorporeum uult creatum et incorporatum dicit omne corporeum. cui incorporatur, quaeso, quod corpus est? si in pro non forte posuisti, ut incorporatum pro non corporatum uelis intellegi, plus nobis quam uolumus sponte largiris, quia si auctor rerum quae fecit omnia non corporauit, sine corpore sunt ergo quaecumque sunt. enim uero quod est et absque corpore est incorporeum esse necesse est, quod Graeci elegantius άσώματον uocant. sin autem istius modi praepositione simpliciter usus es, incurristi nescius ueritatem, per eandem tamen ignorantiam uno tantum lapsus articulo, quod omnia incorporata dixisti, cum satis constet duplicis creaturae substantiam sic ordinatissima lege conpositam, ut omne creatum incorporeum et incorporatum sit, non autem omne corporeum sit et animatum. ac per hoc incorporatum corpus dici non potuit uelut in corpus missum, quia incorporatio ad illam pertinet absque ambiguitate naturam, quae et, prius quam incorporata est, non fuit corpus et, postquam incorporata est, non est corpus. si uero

incorporata omnia eo forsitan sensu dixisti, quo dici plane potuit, etsi non debuit, omnia facta esse corporea, excidisti pariter et a proprietate uerbi et a ratione ueri, quia si omnis creatura corporea est, nihil incorporatum est: si autem incorporeum quid creatum est, non est omnis creatura corporea.

Sed una haec eademque causa est, quae te multiplici inuoluit errore: magna uidelicet rerum ignoratio et scientiae mira praesumptio. hinc quippe fit ut uel spiritus corporatos corpus esse credas uel item corpora incorporata definias. in istis tam dialecticis conclusionibus tuis semper tibi ueniat in mentem illius quam inurendam ducis aliis alti erroris infamiam. diuinua quoque temet sermo commoueat: oportere prius deponi trabem propriam, ut possit alienam quis auferre festucam. proinde quia non lacessis quasi dubios praelii, sed percellis quietos mucrone conuicii et cunctis creaturae partibus mensuram pondus et numerum indita esse dixisti, quoniam haec simul omnibus constat inesse corporibus et animam corpus esse decernis, quae huius mensura sit, qui numerus, quod pondus inquiro. si modum uegetanti animae uiuentis corporis modus facit, quia corpus extrarium quasi uas aliquod animam ueluti minus quoddam corpus includit, ergo animae, ut tu ais, quantitas pro corporis quantitate censenda est.

0 si mihi de his loqui tecum comminus palamque proueniret, liberaliter uidelicet agerem, nonnulla tibi de meo iure concederem neque protinus de homine quaererem, sed prius precario poscerem, ut rerum callens euidenti faterere responso, formicae et cameli animas utrumnam prouidentia an mole censeres? si prouidentia, luce liquidius esset animae cameli sic animam praestare formicae, ut camelus tanto paene minor formicae sit animo, quanto maior est corpore. si moles tibi in istius modi conparatione placuisset, eadem nempe replicarem et nihilo setius quaererem, si modus animae corporis modus est, cur infra corporis modum camelus brutescat et supra corporis modum formica uigeat ? sisterent uerba fortassis, quae tuto tibi magna uolant. ista haec ipsa duplici sorte proponerem, utrius malles tibi copiam facerem. si molem corporis elegisses, perexiguum formicae corpus obponerem, sin animi uigorem, hunc eundem nullum secundum molem fore conuincerem, cuius esse nihil in illa corporea cameli magnitudine conprobarem. hinc etiam tibi Maronianum illud obicerem, quod uerissime de apiculis dictum est: ingentes animos angusto in pectore uersant.

Iam cum super statu hominis dissertare coepissem, a te scilicet nouo geometra, ut ingenia quorumcumque dinoscerem, decempedam, non iudicium fiagitarem. ubi si illo forsitan uoluisses uti perfugio, ut diceres inuisibilia uisibilibus non posse metiri, e uestigio responderem ex magnitudine corporis quod animum includeret posse metiri animum qui corpus inpleret. si non posse dixisses, instantissime quaererem, cur fieri de corporis genere uno non posset, quod de omnibus posset? si adnuisses posse, dicerem tibi sermone prophetico: uade ad formicam, o piger, et aemulare uidendo uias eius, idest prouidentias eius, nisi forte credendum est ob id nos orac-

ulo caelesti commonitos, ut gradiendi scientiam a formica quaereremus. non te in hac prolocutione sollicitet ambulandi cura, sed agendi sollertia, ut . ueluti ingentem formicae farris aceruum conpopulant hiemis memores tutoque reponunt, sic, homo hominis in conparationem inrationalium protoplasti lapse peccato, ne hieme fuga tua fiat, fidei calore et operis deuotione procures ac pariter intellegas formiculae et apiculae ingentes animos paruo corpore non includi. nihil enim magnum [locale] capitur exigua re locali, et paruum corpus atque ingens animus apiculae: non ergo capitur corpore, extra se igitur est. sed extra se nihil esse potest, est ergo totus in corpore, sed magnum corporeum corporeo paruo non capitur, quia tam magnum replet locum, quam magnum quidque locale est. aut igitur anima inlocalis et per hoc incorporea erit, aut secum tota non erit. sed nihil esse nisi secum potest, inlocaliter ergo in re parua res magna est. non igitur localis est animus et nihil inlocale corporeum: corporeus igitur non est. quidquid autem corporeum non est, non mole censendum est, non ergo ex magnitudine corporis animi magnitudo.

Quopiam nunc uideamus euadas: apicula tibi corporis, camelus animi magnitudinem negat. uideris ne istius modi rationibus sententia tibi placita labascat nec secundum corporeas quantitates numeris ponderibus et mensuris animi magnitudo subiaceat, qui et paruus in magno totum tenet et magnus in paruo non effluit. sed forte corporaliter metiri animus non potest et pendi potest. is dicere audeat scire se posse, quot animus secundum pondus possit esse librarum, qui conprehensum tenet tenet, quot sit secundum longitudinem pedum. uestigia uero numerorum in corporibus trifariam dinoscuntur. loco etenim primo, ut sit corpus maximum uel minimum, unum id esse necesse est, quod scilicet a numero illi est. secundo, quod partibus constat, quae profecto partes, ut iam diximus, dextra et laeua, sursum ac deorsum, ultro et citro sunt. tertio, quod iuxta praefatam diuersitatem partium secari omne corpus in partes potest, quarum item pars qualibet partium corporis propter uim primigeniam numeri et unum corpus erit et totidem partibus constabit et perinde in partes secari poterit, modo tu uideris utrumnam, cum cuiuslibet animantis una sit anima, diuidi haec eadem possit, ut iterum quotalibet pars animae anima sit, sicut quotalibet pars corporis corpus est. quod quia sanorum neminem reor posse dicere, terendum tempus non est in harum discussione causarum, quae suapte natura tam clarae sunt, ut obscurari potius disputatione uideantur.

Iiii. De Mensvra Nvmero Et Pondere Corporis

In illud nunc magis nisi contemnis aduertas animum, ut tibi, in quantum se uideri dignabitur, mensurae ponderis et numeri uis diuina pandatur. dici nempe deo legimus: mensura numero et pondere omnia disposuisti, quo potissimum testimonio in id scilicet usus es, ut exinde probatum uelis animabus quoque nostris corporeas quasdam inditas quantitates. uideamus ergo igitur mensura haec, pon-

dus hoc, numerus hic ubinam loci fuerint quandoue esse coeperint, ut ad istorum quasi exemplar deus uniuersa formaret. si nihil increatum nisi creator est, haec ergo creata sunt. si creata sunt, non igitur omnia deus mensuris numeris ponderibusque disposuit, quando quidem haec ipsa non secundum ista formauit, sed auctoritati diuinae obuiare nefas est, numeris ergo ponderibus et mensuris uniuersa creata sunt. mensura ergo pondus et numerus creata non sunt: non enim secundum eadem creata sunt omnia, si et ipsa creata sunt. hic omnibus. cogitandi uiribus enitendum est, ut quoquo modo possit agnosci non hoc esse pondus principale quod penditur, sed quo penditur, nec eundem esse numerum qui numeratur, sed quo numeratur, nec mensuram quae metitur, sed qua metitur, sicut item non hoc est magnitudo quod magnum, nec hoc aequale quod aequalitas, nec hoc pulchritudo quod pulchrum. nihil enim creatum per se magnum est, sed ex minoris conparatione magnum aliquid dicitur. hinc est quod montem paruum dicimus et grande milium, grandem quoque muscam et bouem paruum. cum uero ad ipsam creatricem uenitur magnitudinem, quia conparari non potest, nec maior nec minor est. sic et in his principalibus formis ratio par est, quas Plato ideas nominat. nam secundum eandem quadrandi legem fabricamus et quadratam tabulam et forum quadratum, et cum forum maius quadratum sit, non tamen magis quadratum est. hinc capias oportet indicium illius non pensi ponderis et inmensurabilis mensurae et innumerabilis numeri, quae tria simul aequiterna semper indiuidua ubique et ubicumque tota unus deus sunt.

Omnia etenim corpora, quibus quidque uel numeramus uel pendimus uel metimur, et numerabilia sunt et ponderabilia et mensurabilia. nam et numeris in corporibus certus est modus et pondiculi trutinae certum est pondus et decempedae certa mensura est, a cuius magnitudine et citra recurri licet usque ad uncias et semuncias et usque ad minimum, citra quod nihil est, et ultra item progredi usque ad maxima et ipsius quoque mundi inaccessa nunc sensibus spatia. habet enim certum magnitudinis modum quidquid finale est. proinde mundi moles uniuersa, quoniam ex finitis est conpacta corporibus, quippe cum alterum corpus alteri finem faciat, procul dubio ipsa finalis est propterque et mensurabilis. trans quam si quid spatiorum humana mens cogitat, in ea certe ratione mensurae per corporales formas mitti posse non dubitat, quod quidem ita posse fieri in ueritate claret, si ullus extra mundum locus est. sed quoniam extra omnem locum locus esse non potest, localis mensura ubi locus nullus est non accedit, et cum desit quod metiri possit, quo possit metiri superest, quia finito mensurabili inmensurabilis mensura non deficit. eatenus equidem ratio ponderis eo quod pendi potest cessante non interit et numerus finito numerabili non finitur. igitur si inmensae lucis splendor aliquo nobis fulgore subrutilat, necessario scilicet istic admonebere, ut paululum seposita carnalium fallacia uisiouum dicas nobis decempedae forma corporeae cui nostro uisibilis sit? sed quia hanc, nisi nimium fortasse suscenses, corpori contemplabilem non negabis, consequenter quaero illam inmensurabilem de qua supra sumus lo-

cuti mensuram animone an corpori dicas esse conspicuam P sed non ita quempiam ueritas deserat, ut diuina corpori uisibilia fore contendat; cum nec corpora uideri ab hoc nisi animato cognoscat aut, ut dicam uerius, animam potius per corpus quam quidquam per se sentire corpus intellegat. duplex ergo est uidendi uis: anima uidet mensuram pondus et numerum per se, uidet mensurabilia numerabilia ėt ponderabilia per corpus. ergo per corpus uidet quae sunt similia corpori, id est corporea, incorporea uero per se, quibus est ipsa similis.

Nunc si placet, quoniam mensuris ponderibus et numeris omnia disposita sunt, eorundem in creaturis signa quaeramus. imum certe elementorum omnium terra est. in rotundo scilicet illud imum constat esse, quod medium est, quia in rotundi extimis imum non est. quaelibet ergo terrae pars magna uel minima aut lapillus exiguus uel minutissimus puluisculus, qui puncto uisibili contingi nequeant, habent et mensuram pro modulo sui et numerum pro ratione partium, quibus distant superiora ab inferioribus, dextra a sinistris, a posterioribus priora, unde etiam quamlibet minimum diuidi in duo potest, quia corpus est. pondus uero illius hinc animaduertitur, quod hoc ipsum minimum ab origine sua sublatum et in aqua, superiore uidelicet elemento dimissum motu infatigabili non quiescit, donec naturali pondere ad solum terrae perueherit. hunc ad modum rationis tramitem in reliquis tene corporibus, quia et aquae guttula, quam digito tincto sustuleris, habet scilicet pro magnitudinis modo mensuram, pro partium distantia numerum: lege ponderis si dimittas eam in aere, non residet nisi ad sua peruenerit. aeris quoque ratio par est, cuius nihil uel sub aqua contineri uel supra ignem ferri potest, quod, si quo pacto fiat, necessitate ponderis uel hinc naturaliter erumpat uel inde sponte desidat. mensurabilem uero aerem et pro numero partium numerosum uel hinc, ut arbitror, liquet, quia corporeum metiri posse mundum, cuius aer tertia pars est, iam constitit. sic etiam ignis elementum et pro partibus suis, quia locale est, recipit numeros et pro spatio, quia finale, mensuris subditur. pondus autem ignis iste terrenus quasi quoddam semen ignium supremorum sursum uersus habet, qui quanto maiore fomento pastus maiorum fuerit uirium, uelut in patriam tendens subtilis natura magnas partes stipati aeris inrumpit et, nisi eundem elementi alterius profundum uinceret, quo per naturam rapitur peruenire.

V. De Mensvra Nvmero Et Pondere Animae

Ecce patuit nihil esse corporeum, cui non sit mensura pondus et numerus. nunc quoniam eorundem est et partilis unitas et locale pondus et magnitudo mensurabilis, utrum tria haec eatenus in anima, ut in corpore sint, quaeramus. magnum. certe corpus longitudine et latitudine et altitudine dicimus, cuius utique spatium grande uel paruum pro sui capacitate censemus. ergo tantum quidque corporis quodcumque corpus recipit, quantum pro amplitudine capax est. sic equidem transcenso inferioris creaturae gradu sublimiorem cerne creaturam et animi magni-

tudinem sui capacitate metire. ecce capax est anima humana sapientiae, capax namque est eius, quae intellegens eius est. ergo ut ante indeptam sapientiam sapientiae capax dici non potest, sic antequam particeps eius fiat, sapiens dici non potest. istic ego percontatum uenio, spatiumne loci fore iudices an inlocale aliquid, quo capitur sapientia? ego sic <censeo, quod si secundum spatium sapientiae capax est sapientis anima, ergo secundum molem magna est sapientia. quod quia non sinit dici ueritas, inlocale est quod capit, ut inlocale possit esse quod capitur. en tibi humani animi sine mole magnitudinem, numeri nunc intuere rationem.

Animaduertisti, ut arbitror, haec esse in corporibus signa numerorum, quod scilicet numerosa sint corpora, quae sibi secundum praestantissimam numeri aequalitatem partium parilitate respondeant, ut quoniam unius ad unum et duorum ad duo et ad tria trium summa aequalitas est, sic itidem illud numerosum corpus esse dicamus, quod rata dimensione formatum, ut uerbo tenus humanum quae sunt bina sic habeat ex aduerso posita, ut sibi nec magnitudine nec specie nec loco dissentiant, ut sunt aures et oculi, quae item singula, ut nasus et os, medium locum teneant atque, ut esse pulchra possint, concinentiam summae aequalitatis imitentur. quatenus igitur numeri ueritatem in anima reperiamus humana, primum debet ipsa sibimet actitandi rationem pro uirtutum parilitate concinere, ut sapientiae iustitia, temperantiae fortitudo respondeat, quae parilitas utique numerosa est, quia tanto est numeris uicinius, quanto est quidque concinentius. sed illud in anima numerosum potius arbitror, quo eadem scientialiter compos\' est numeri, ut non partibus sicuti corpus numerosa sit, sed ipsum dinoscat et secundum eundem iudicet numerum. nam tria et quattuor septem fore et haec et tria decem, nulla praeter humanam animam uel potest scire uel poterit. sicut igitur de mensura claruit, ita et de numeris satis adparet esse hos in corpore uisibiliter, in anima intellectualiter.

% Restat nunc ut de pondere disputemus. corporum pondus illud esse patuit, quo eadem in regiones suas, unde primordialiter exsistunt, naturaliter feruntur nec quiescunt, quoad usque transmisso elementi alterius spatio in sua perueniant. animae uero pondus uoluntas est eius, quae proprie magis amor dicitur, quo scilicet uel se ipsam uel alia quaelibet amat anima. siue enim sibi incorporea diligat, ut est uera sapientia, sine corpori corporea concupiscat, ut pulchra sunt corpora, inlocali amoris pondere rapitur, donec amatorum adeptione potiatur. igitur pondus corporis, quocumque corpus tulerit, mensuras eius et numeros indissociabiliter secum trahit. item pondus, hoc est amor animae in id quod diligit et memoriam et consilium secum cogit, quia nihil aliud uel meminisse uel cogitare ualet, nisi illud, cuius amore feruescit. unde diuinitus homini dicitur: diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua, uidelicet ut, sicut corpus pondere cogitur in propria, sic anima pondere referatur in patriam. hoc pondere suo tamen anima non solum aliis iungitur, sed ipsa quoque solidatur, quia consilii ac mentis amore medio et mens consilio et consilium mente diligitur.

Vi. De Mensvra Nvmero Et Pondere Divinae Trinitatis Qvo Modo Haec Tria Ipsa Trinitas Sit

sic et incorporaliter cuncta supereminens unitas praecelsissimae trinitatis mensura est, ut aiunt, sine mensura et pondus sine pondere et numerus sine numero. pondus ergo, quo haec eadem secum ineffabiliter unum sunt, caritas est patris et filii, quoniam spiritum sanctum apostolus proprie insinuans: caritas, inquit, dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis, euidenter ostendens isto pondere, diuina scilicet caritate, illum ineffabilem numerum illamque mensuram illo stabiliter ferri, quo tale pondus accesserit. igitur tria haec inseparabilia sunt in corpore, sed multo magis in anima et indiuidua sunt in anima, sed multo magis in se, et sicut nihil sine uno creatore, hoc est ipsa trinitate exstitit, ita nihil omnino esse potest, quod\' non et trifarium subsistat et unum sit. omne scilicet corpus et unum erit et mensurabile erit et numerabile et ponderabile et omnis anima rationalis tribus indiuiduis, memoria consilio uoluntate subsistit, quibus capax est mensurae ponderis et numeri, secundum haec de mensurabilibus ponderabilibus et numerabilibus, hoc est de corporibus iudicans. quae si corpus esset, incorporea certe non caperet, sicut corpus etiam iudicari posset et de corporibus iudicare non posset. permanat ergo a summo, quod deus est, per medium, quod anima, ad imum, quod corpora, unitae specimen trinitatis corporibus signa sui inprimens, animabus etiam notitiam tribuens illa formans uisibiliter, has intellegibiliter. cum ergo nihil substantiam nisi essentia capiat et nihil nisi tribus, sicut supra disseruimus, unum fiat, quando tanta est unitas in corpore, hoc est in uestigio trinitatis, quanta est in anima, hoc est in imagine trinitatis, et item cum tanta sit in imagine, quanta est in ipsa trinitate?

Vii. Paganis Vtitvr Testibvs Nvllas In Anima Corporeas Esse Mensesse Vel Localia Pondera

Sed quoniam nunc tempus aliud est, quam ut de quaestionis huius praeeminentia copiosius disputemus, tantum scilicet in his moratus sum, quantum prudentibus satis arbitror, quo adplene cognoscant nullas in anima corporeas esse mensuras uel localia pondera uel partium spatia, sed illud ab ea percipi, quod nec locus capit nec pondus mouet nec diuisio minuit, modo tu, arbiter docte, probaueris iustam gnarus ferre sententiam, anne sit locus quod inlocale recipit, an partile quod secari nequit, an mensurabile quod infinitum capit. nunc ad Philolaum redeo, a quo dudum magno interuallo digressus sum, qui in tertio uoluminum, quae πεϱὶ ῥυθμών χαὶ μέτϱων praenotat, de anima humana sic loquitur: anima inditur corpori per numerum et inmortalem eandemque incorporalem conuenientiam. item post alia: diligitur corpus ab anima, quia sine eo non potest utisensibus. a quo postquam morte deducta est, agit in mundo incorporalem uitam. non ego nunc rationum tramitem et nexuosissimas quaestionum minutias reuoluo, quibus haec probabilia quo uoles aduersante Philolaus efficit. in quae si quis uel curiositate

uel studio forte flagrauerit, de ipso scilicet fonte hauriet. enimuero memet causa auctoritatis in eundem tanti testimonium philosophi iecisse sufficiet, sicuti ceterorum post hinc strictim proferre conueniet. iniuria nempe a quoquam poscitur et argumentum pariter et testimonium.

Archytas perinde Tarentinus idemque Pythagoricus in eo opere, quod magnificum de rerum natura prodidit, post multam de numeris subtilissimamque disputationem: anima, inquit, ad exemplum unius conposita est, quae sic inlocaliter dominatur in corpore, sicut unus in numeris. quid, quaeso, praecelsius potest dici, quid uerius? ad unius uidelicet exemplum conposita, quia ad unius imaginem facta est. et idcirco unus est exemplum principale formarum, quoniam formabilia ab illo formas capiunt, qui non coepit., Hippon Metapontinus ex eadem schola Pythagorae praemissis pro statu sententiae suae insolubilibus argumentis de anima sic pronuntiat: longe aliud anima, aliud corpus est, quae corpore et torpente uiget et caeco uidet et mortuo uiuit, unde autem, [si] hoc est, quo principio nescire se dicit. sed non ita nunc omnium philosophorum Pythagoricae familiae sententias persequor, ut easdem copiosius aggerando de alienis admodum uoluminibus meum faciam satis \’ arbitrans memet principium Pythagorici gymnasii de praesenti quaestione scita euidentia protulisse, certus scilicet \ eminem refutare doctorum, quin hoc idem senserint scriptoque prodiderint Archippus, Epaminondas, Aristeus, Gorgiades, Diodorus et omnes Pythagorae posteri, quorum uidelicet nominum, ne dicam sententiarum multitudine, si eadem prodita uelim, uoIumen efficerem.

Igitur Platon procedat in medium, a quo uere claret quam magnum in semet bonum genus humanum neglegat nostro praesertim saeculo, quo dictis factisque caelitus editis eotenus religio conclamata est, ut paene iam credendi labore submoto tepore fidei scientiae fructum capessat laborisque mercedem opere non patrato percipiat. quo fit ut mirari admodum digne nequeam huius Platonis animum, qui tantis equidem saeculis ante puerperium uirginis, ante incarnationem dei, ante hominis resurrectionem, ante praedicatam summae trinitatis in - gentibus unitatem ineffabilem una tres in diuinitate personas laudabili ausu, mirabili ingenio, inimitabili eloquio quaesiuit inuenit prodidit, patrem deum paternamque mentem, artem siue consilium et utriusque horum amorem mutuum unam summam aequiternam indiuisam diuinitatem non solum ita credi oportere docuit, sed ita esse conuicit. persuadere mihi non possum, quod philosophi huius anima corporea fuerit, ac ei forsan praecipiti lapsu stultitiae ulla anima corpus esse iudicanda est, illas equidem corporeas iudicauerim, quae corpus esse se credunt, non per hoc animarum generi derogans, sed quosdam sententiae suae inprobitate, non mea sponte denotans. et quid hominibus fiat, quos cum eo usque inscitia teneat, ut indoctos se esse nesciant, scientiae nihilo minus priuilegium sibi uindicant, dumque in inperitas aures uerborum puerilium spumas exspuunt, uno eodemque mendacio semet scientiae fallunt, alios docendo decipiunt Lysiae similes, quem Platon idem cassa rerum uerba fundentem in Phaedro eatenus increpat, ut esse deterius adstruat gnarum uerborum, ignarum

esse causarum, quam nescientem rerum uerba nescire, potius arbitrans inperitum silentium loquaci inperitia. unde etiam Tullius libro de oratore primo: eloquentia est, inquit, scientia conprehendendarum rerum plurimarum, sine qua uerborum uolubilitas inanis atque inridenda est, et paulo post: etenim ex rerum cognitione efflorescat et redundet oportet oratio, cui nisi subest res ab oratore percepta et cognita, inanem quandam habet locutionem et paene puerilem. sed hinc . alias.

In Phaedro autem Platon de anima sic pronuntiat: anima, inquit, inmortalis est, quae semper a se ipsa mouetur et aliis causa motus est, corpus autem per se non mouetur. non ait tantum: mouet alia, sed: aliis causa motus est, animaduertens equidem uir excellentis ingenii fore nonnulla quibus sit moueri proprium causa motus alieni quidquid enim uoluntarie mouetur, ipsum fere sibi causa motus est, quod autem mouetur uel nesciens uel inuitum penes scientem uel cogentem causas motus habet. nec repugnat anterioribus nostris disputationibus, quod istic a se moueri animam dicimus, cum principalem motionum cardinem in deo esse dicamus, quoniam id ipsum fere a deo illi est, ut sponte moueatur, uidelicet ut, sicut causa motus animi uoluntas est eius, sic substantiae, quae utitur uoluntate, causa sit deus, quia, etsi posse uelle nobis ex deo est, non omnis uoluntatis nostrae motus erit ex deo. uel tunc reor, cum uoluntate peccamus, nostri causa motus ex nobis est, ne peccatorum deum faciamus auctorem. quocirca si corpus a se non mouetur et corpus non est quod sibi causa motus est, quia in se motus sui causas habet, anima non est corpus.

Idem Platon in libro, quem negl φυσιχής scripsit: anima, inquit, animantium omnium corporalis nonestipsaque se mouet aliorum quoque agitatrix, quae naturaliter mota sunt. in Phaedone autem sic apud eundem Platonem cum Simmia et Cebete aliisque philosophis Socrates loquitur, ut cum uideamus illic ualde consentanea nostrisque oppido coniuentia pronuntiari, quae non solum praeiudicio auctoritatis utuntur, sed uirtute rationis adminiculantur, animaduertamus praeter natiuum humanae mentis uigorem hasce uidelicet animas, quae tam remota persecutae sunt, tam . clausa adierunt, tam operta uiderunt, idcirco scilicet lumine ueritatis adflatas, ut in salutem generis humani toto quandoque mundo diuinitus editum dogma apud rudes ueri gentium mentes gentilium testimoniis uteretur, quo magis ignorantiae nubilo caecata et infidelitatis frigore in quandam glaciem durata gentilitas euangelicae ueritatis calori cederet, si eadem ueritas aduersantium quoque sibimet ore sonuisset. aut cur non haec eadem per philosophos nobis in usum ueri caelitus procurata credamus, quae ad redarguendam nostrorum quoque inperitiam utilia fore cognoscimus ? persuadens igitur in Phaedone Socrati sic ait uera ratio: donec corpus habeamus permixtusque sit tali malo noster animus, numquam nos id quod iam olim concupiscimus satis plene consecuturos. concupiscimus autem ueri scientiam. corpus enim nobis primum innumerabiles et infinitas occupationes infert, quibus conterimur ob necessarium uictum et alimenta cotidiana. deinde si qui morbi ingruerunt, inpedimento sunt, quominus inquirere et inuenire ueritatem pos-

simus. nam cupiditatibus et cupidinibus et timoribus innumerabilibus, uariarum rerum adpetitionumque uisionibus et infinita quadam dementia corpus oneratur, ut prae illo ne sapere quidem ulla in re possimus. et si quando tempus aliquod ad philosophandum uacuum uel habuerimus uel fecerimus, tunc quoque in ipsis cogitationibus nostris corpus intercurrit turbam errorum inferens menti, ut obcaecante illo ueritatem peruidere non possimus. itaque unum hoc in omni quaestione nobis et id quidem euidentissime probatur, si quid umquam bona fide scire uolumus, recedendum esse a corpore et in ipso animo res considerandas. tunc enim uidemur consecuturi quod concupiscimus et cuius rei amatores nos profitemur, cum defuncti erimus, nam dum uiuimus, desperandum est. etenim si constat nihil sinceri mixtum corpori animum peruidere posse, sequitur alterutrum, aut nullo tempore nec usquam contingere homini ueram scientiam posse aut tunc demum, cum excesserimus e uita. defunctorum enim animus liber est et solutus a corpore. eo autem tempore quo uiuimus ita demum adpropinquabimus adplicabimurque scientiae, si nihilaut quam minimum corpore utamur neque in societate eius, nisi quatenus necesse est, animum dimittamus. ita enim minime replebimur uitiosa turbulentaque natura corporis, sed puri a contagione eius, in quantum facere possumus, erimus et, si ita fecerimus, incorrupti sincerique digredientes ad omnia incorrupta sinceraque ueniemus.

Haec ad uerbum ex dialogo philosophi admodum principis excerpenda atque huic nostro inserenda uolumini ratus sum non arbitrans fore quempiam inlectamentis fallaciarum corpo. ralibus obsistere solitum, qui hasce repugnantias in semet ipso sentiens disparium naturarum corporis atque animi teste se in hoc ipsum sibi non indiscussis equidem longe maximi inter philosophos uiri disputationibus adsentiatur interque animum corpusque suum praeside ratione disceptet, quidnam sit illud quod, ut aiunt, corporeus animus ab omni inuentione occursante sibi semper extrarii corporis praepediatur obstaculo aut cur extrarium corpus in reatum uocet, quod semet a contemplatione ueri deuocet, cum sibi ipse sit inpedimento, si corpus est. sed super his non argumentabor. ipsa per se nimirum ueritas claret nec ornamento aut adiumento extrinsecus indiget, quae et pulchrior et fortior nuda est.

Hinc egomet testium meorum indefensis hactenus mihi testimoniis utendum ratus sum, quia penes illos tantum, qui toto sui admodum corpus sunt, de hisce ueritatis uadibus dubitabimus. uerum quid hic idem Platon in Hipparcho, quid in Lachete, in Protagora, in Symposio, in Alcibiade, in Gorgia, in Critone, 4 quid in Timaeo etiam arce quadam et quodam philosophiae uertice de anima pronuntiauerit, placitae breuitatis gratia missum facio. neque enim refert ad agnitionem ueri quid de eodem saepius quisque dixerit, quam quid senserit quaerere, quia in saepe dictis nec uberior est cognitio rerum, cum sit prolixitas onerosa uerborum. quapropter in adstructionem ueri magis considerandum est quid unum multi senserint, quam quid unus saepe dixerit. ego tamen Platonem, prout mea opinio est, philosophorum

omnium merito principem in negotium praesens admiratione sui pellectus testem saepe uocitaui, quamlibet quae plura istic eiusdem legas innumeris conparata, quae super anima dissertauit, pauca admodum nec. suae. sed nec Porphyrius Platonicus multis post Platonem saeculis a magistro uspiam in hac eadem causa dissensit. inlustri quippe uoce genus humanum suae dignitatis admonuit: si beati, inquit, esse uolumus, corpus est omne fugiendum. est ergo incorporeum quiddam in nobis, cui aduersa corporis uniuersi contagio est, et quid istud erit, nisi imago dei, et quid imago dei, nisi humanus animus? qui si in corpore beatus esse non potest et incorporeus non est, numquam beatus erit, qui sine se non erit.

Viii. Romanis Paganis Philosophis Vtitvr Testibvs De Animae Incorporalitate

Plurimorum in negotium praesens philosophorum plurimis testimoniis usi sumus multosque ex eadem Graecia, si uel causa posceret uel ratio sineret, proferre possemus. sed ne localiter ueritatem quaesisse uideamur, ut haec eadem ab una tantum uideri gente quiuerit et aliis ignorata sit, cum ueri compos humana substantia non sit regione, sed genere, Romanos etiam eosdemque philosophos testes citemus, apud quos Sextius pater Sextiusque filius propenso in exercitium sapientiae studio adprime philosophati sunt atque hanc super omni anima tulere sententiam: incorporalis, inquiunt, omnis est anima et inlocalis atque indeprehensa uis quaedam, quae sine spatio capax corpus haurit et continet acrius isti, ni fallor, abstrusas rerum rationes ingressi sunt, quam nonnulli nostrates, qui cubiculariis disputationibus de sublimium indage causarum aliquid soporiferum in lectulis oscitantes perpellente copia tepentium naeniarum stolido laudatore ueternosas anilium opinionum suspiciones edormiunt innexamque uisceribus animam corporis claustris includi et contineri decernunt. sed istuc inperitiae ueri uacuae figmentum, . prout locorum ratio poposcit, et superiore libro discussimus et prolatis nunc summorum magnis auctorum testimoniis in rem sui nobis opitulante ueritate rationis quoque uiribus refellimus. Marcus varro, sui saeculi peritissimus et teste Tullio omnium sine dubitatione doctissimus, quid in musicis, quid <in arithmeticis), quid in geometricis, quid in philosophomenon libris diuina quadam disputatione contendit, nisi ut a uisibilibus ad inuisibilia, a localibus ad inlocalia, a corporeis ad incorporea miris aeternae artis modis abstrahat animum et in corpora, hoc est in aduersa sibi dilapsum sui compotem faciat? cui si corpus esset, corpus aduersum esse non posset. quid ego nunc Zoroastri, quid Brachmanum ex India, quid Anacharsidis e scythia, quid uero Catonum, quid M. Ciceronis, quid Crispi, qui ab ipso paene principio sui operis animo dominandi ius tribuit, corpori legem seruitutis inponit, in defensionem ueri sententias adferam, quid orbis uniuersi de animae statu nobis concrepare iudicium in his dumtaxat qui merito enituere conuincam P

VIIII. ABHINC ECCLESIASTICIS DOCTORIBVS VTITVR TESTIBVS DE ANIMAE incorporalitate

Facile profecto hoc idem factu mihi esset, nisi adici quempiam coacta testium turba non sineret et diuina iam nunc oracula pandere uel tempus foret uel ratio commoneret. atque ut ad ipsos caelestium uoluminum fontes illis fere ducibus, qui ex eisdem largius hausere, ueniamus, Gregorius Nazianzenus in apologetico magnum uidelicet inter animam et corpus clamat esse discrimen atque ut corpus corporalibus pasci, sic animam incorporeis saginari. beatus Ambrosius ad Mediolanensem in ecclesia populum uerbo doctissimo atque eruditissimo: sequestremus nos, inquit, a corpore, contra quod nobis, si salui esse uolumus, iuge certamen est. una praecellentium eademque sententia non nisi eodem intellectu animaduertenda est eodemque tractanda sermone. dicam nunc igitur quod saepe me, cum ad id locorum uentum est, dicere memini. sequestrari nos a cor.pore Ambrosius oportere persuadet. quis ergo iste sit, cui a corpore sequestrari conueniat quaero. ex anima enim sumus et corpore, ac per hoc cum sequestrari a semet ipso nequeat animus, nihil in nobis est, quod sequestrari possit a corpore, si corpus est animus. cur, sancte Ambrosi, cur taliter doces, cur sponsam Christi caeno falsitatis oblinis, cur eandem a uia ueritatis scaeuae praedicationis inpulsu in deuia abrupta - propellis, cur sequestrari oportere a corpore corpus perhibes? quidnam istud, quaeso, proderit homini? num quia hominis interioris est natura subtilior, quae tamen non est nisi corpus, idcirco eandem disici conuenit atque separari? numquid quoniam in hac structura mundanae molis quaedam subtiliora et leuiora, quaedam crassiora atque grauiora sunt, idcirco tenuioribus uniuersam solidi huius conuenit rupisse conpagem, aut beatior aer erit, si cum aqua ac terra non fuerit? hisce falsiloquiis circumgarrientibus istius modi fert ille responsum quaenam nobis oboritur uerborum nuda, uirtutis cassa, rationis aliena, ueritatis uacua, uanitatis caua, superbiae tumida nouelli huius schismatis sine auctore doctrina, elata supercilio, abiecta mendacio, referta conuicio, creatori potestatem subripiens, imagini dignitatem, quam miro stultitiae genere conparationibus substantiae corporalis infamat adserens scilicet tam nihil animo profore quoad ualeat corpore secerni, quam non sit aeri conducibile crassioribus mundanae molis corporibus separari. porro si qui estis uspiam gentium, quorum ingeniis cesserint arcana causarum, adeste praepetes, uosmet ignorantiae plectite, nouum dogma miramini: animae dignitatem capessit in solido mundi portio corporis quarta mundani haec ergo nimirum animarum omnium maior est anima proque sui mole magis sapiens. itaque nunc tanto potius quispiam prudentiae copiosus erit, quanto aeris huius pro sui capacitate plus hauserit, nec iniuria genus humanum naturae incusauit iniuriam, quae tanto maiores hominibus lucas boues edidit, eo uidelicet beatiores, quo capaciores. sed hactenus satis Ambrosius, qui uel solus profecto sit satis, faxim tamen et aliis testificandi locum.,

Aurelius Augustinus et acumine ingenii et rerum multitudine et operis mole ueluti quidam Chrysippus argumentandi uirtute aut Zenon sensuum subtilitate aut varro noster uoluminum magnitudine et qui profecto talis natura adtentione disciplinis

exstiterit, ut non inmerito ab istis corporalibus nostri saeculi Epicureis aut Cynicis spiritalis sophista dissenserit, libro ad Hieronymum de origine animae sic pronuntiat: incorpoream esse animam etsi difficile tardioribus persuaderi potest, mihi tamen fateor esse persuasum, cumque id ita fore rationibus magnis atque insolubili argumentatione conuincat ac super hoc Hieronymi sententiam poscat, laudis suae tantum a Hieronymo scripta recuperat, quin haud dubie Hieronymus nihil de anima sentire dicit uerius, nihil disputare posse perfectius. en tibi duos praeclarissimos uirtutum doctrinarumque praeeminentia longe porro praeditos super statu animae sentire nobiscum inermemque te auctoritatis pondere et rationis uiribus prosternidare disparatosque I corporibus unitate sapientiae duas animas unam facere. unde multum miror Hieronymum tibi testem citatum, cum potissimus tractatorum minime potuerit et pro anima et in animam disputare, quamquam quae ex eodem aduersum nos haud intellecta posuisti nobis eo usque conducant, uti quam callide non aduersarius, uerum praeuaricator subordinatus esse uidearis, qui uelut adsentante conludio feceris nos tuis admodum testibus uincere. quippe gloriosum uictoriae genus est ab eo cum quo decertes arma capere quaesitumque aduersario testem illinc stare et istinc dicere.

Ne quid tamen segnem me redhibendae uicissitudinis arbitreris, prout locus est moneo consentaneum magis tibi super sententia tua Pictauum Hilarium esse potuisse, qui scilicet inter conplura praecelsarum disputationum suarum quiddam sequius sentiens duo haec ueris aduersa disseruit: unum, quo nihil incorporeum creatum dixit, aliud, quo nihil doloris Christum in passione- sensisse, cuius si uera passio non fuit, redemptio quoque nostra uera esse non potuit. sed quoniam beatus Hilarius opinionis huiusce uitium uirtute confessionis aboleuit, sic sustinet reprehensionis stilum, quod non patitur detrimenta meritorum. quapropter eatenus diuinarum tracta-, toribus scripturarum fidem adhiberi par est, quoad usque eidem tenore ueritatis adstipulautur. sed quamquam nonnullis dissertatoribus proferendis necessario supersederim, dum ad oracula diuina, ex quis eorundem pendet auctoritas, iure festino, haudquaquam tamen Eucherium praeterierim mihimet uiuente. doctrina et praesentaneis coram disputationibus cognitum, non porro nuntiis aut lectione conpertum, qui scilicet uiridis aeui, maturus animi, terrae dispuens, caeli adpetens, humilis spiritu, arduus merito ac perinde ingenii subtilissimus, scientiae plenus, eloquii profluus, magnorum saeculi sui pontificum longe maximus editis in rem fidei multiiugis uariorum operum uoluminibus ad populum quoque his super statu animae contionatus est: quaerere, inquit, quidam solent, quo modo in Christo misceri potuerit homo et deus. quaerunt rationem huius mysterii, quod semel factum est, cum ipsi reddere rationem nequaquam possint eius rei, quae fit semper, quo modo societur anima corpori, ut fiat homo. ergo quo modo corporea res incorporeaque coniungitur et corpori anima miscetur ut homo efficiatur, ita homo coniunctus est deo et factus est Christus: et tamen ut fieret Christus, duo illa incorporea, id est anima et deus facilius coniungi permiscerique potuerint, quam

miscetur una incorporea aliaque corporea, id est anima et corpus, ut persona hominis exsistat. cedo mihi nunc illos, qui aeque talibus instituti ab hisce doctrinis degenerauerunt pessum facientes salubria sua et alienis semet noxiis obnoxiantes iniusto amantium sui odio eo usque prolapsi, ut extraneos mallent cum falsitate praeeligere et Eucherium cum ueritate damnare.

Videas hic alios quiddam socordi trutinare iudicio, alios id ipsum aut nescios stulto laudare praeconio aut sciolos subdolo ridere consensu hos inter placere sibi illum, quem nemo nisi aut ignarus laudauit aut callidus. hic iam feruntur de singulis non pro meritorum, sed pro uotorum qualitate sententiae, ob laudem praesentum quorumpiam rabularum longe maximi damnantur auctores. istic ille laudatus ne infra laudantum uideatur stare iudicium, panniculos quosdam ex diuersorum uaria lectione concerpit eosdemque uilibus suis ueluti quibusdam stuppeis adsuit laceroque uestitu turpior nudis absque furaci meditatione mutus eloquentiae palliatus incedit. cernas hic alium situ fetidinarum turpium ex olenticetis suis ac tenebris cloacam uentris et oris inhalare sentinam interque ructandum quasdam suggillatiunculas fringultientem ab alio, qui stipem suam uariis conlurcinationibus dilapidauit, parasitico more laudari. inter has huiusdemque modi quisquilias aliquid tu sobrium tuto dixerisne? porro magnum aliquod e socordi turba periculum periclitabere: quidum? inperito quippe nihil quidquam iniustius. hos ac tales tamen egomet non pauesco ac, si qui nunc monendi locus est, moneo praeque denuntio: quique isti quique sunt alii, qui uel in magnos uiros obloquia uel de rebus summis deliramenta quaedam cum conpotatoribus mussitant, aut palam loquantur aut taceant. enimuero eruentur mihi atque extrahentur etiam nuncupatim ex abditis tenebellarum qui hactenus delituere. praenosci uero licet, tacere ne habeam facta quorum nomina non tacebo. faxint tamen isti quod foret libitum salubresque monitus spernant, haud inpune scilicet, ego uero praeelegerim ab istis cum Eucherio reici, quam cum istis a ueritate damnari.. sed istic nunc locus et tempus est, ut sicut a philosophis ad tractatores, sic a tractatoribus ad authenticos gradum consequa ratione faciamus suadente modo scilicet plerisque testium tacitis.

X. Teste Vtitvr Ipsa Divina Sapientia Testimonia Penes Scriptvrarvm

Audiamus igitur quid imaginis suae pronuntiet inimicis diuina sapientia: dixerunt, inquit, inpii cogitantes non recte: exiguum et cum taedio est tempus uitae nostrae et exstinctum cinis erit corpus nostrum et spiritus diffundetur tamquam mollis aer. inpii haec ergo dixerunt, super quis paulo post eadem scriptura sic loquitur: excaecauit enim illos malitia eorum, quoniam deus creauit hominem inexterminabilem et ad imaginem suae similitudinis fecit illum. istic ego temet in defensionem tui acrius permouendum credo proque causae merito in me etiam istius modi ferme uerba facturum: quid tu undeunde contractis testificationibus uteris haudquaquam tamen ueritate pulsantibus conscientiae nostrae \\ sincerum? quid autem mea refert, quid

porro adtinet inpios ob detractam diuinae imagini dignitatem diuinitus plecti, cum memet inpietatis huiusce laqueis nouerim non teneri ? proinde moneo facessas nec sententiae talis infamiam mihi mendaciter inuras. nunc ego nisi renuis in tua tecum redeo, ex quis arbitrabere, utrumnam istud in inpios prophetici sermonis oraculum an in te sit porrectum, te scilicet, te magis perstringat, qui praetento scientiae priuilegio contra famam deditus sententiae et contra sententiam sollicitus famae eadem, quae istic uelut aliena renuis, illic itidem ueluti propria defendis.

Ne quis sit tamen uel mihi secus interpretandi uel tibi forsan infitiandi locus, in praesentiarum super quibus agimus utraque uideamus. propheta nempe dicit inpios dicere: exstinctum cinis erit corpus nostrum et spiritus diffundetur tamquam mollis aer. enimuero tute quid dicis? nonnullae sunt, inquis, spiritales naturae, ut angeli, archangeli ceteraeque uirtutes, ipsa quoque anima nostra uel certe aer iste subtilis, tamen incorporeae nullatenus aestimandae. intende, quaeso, animum, pro quisque nostri arbiter, ferque iudicium, sitne aliquod prolocutionum harumce discrimen: inpii de humano spiritu, de anima uidelicet humana dixerunt, quod diffundatur spiritus tamquam mollis aer. necessarius hic noster adiungit, quod anima humana et aer iste subtilis aeque spiritalia sint, sed perinde incorporea non sint. uerba nunc eadem et sensus expende, nam quod illic spiritus dicitur humanus, hic anima, ita profecto concordat, atque si uterque animam aut spiritum uterque dixisset, qui scilicet ita illic in mollem fundi aerem dicitur, sicut itidem subtili istic aeri conparatur. quod ergo diffundi spiritus dicitur tamquam mollis aer, tale est ac si diceretur: spiritus hoc est quod mollis aer. itemque spiritalis est anima nostra et aer iste subtilis ita est ac si diceretur: anima nostra hoc est quod aer iste subtilis, cumque ex his duobus quod ante dictum est inpiorum blasphemia sit, quod postpositum tua sententia, duoque ista itatenus uniantur, uti sint et negotio et sensu et uerbo indiscriminabilia, quid potissimum consequitur, nisi ut aut pro similitudine sententiae tuae, si eandem defensitandam credis, inpiorum quoque sententia laudabilis sit aut, quia plectibilis illa>est, tua quoque sit pro eius parilitate damnabilis?

Sed quo diutius uel argumentantes halucinamur, cum super hoc propheta censuerit: dixerunt, inquit, inpii apud se cogitantes non recte: exiguum est tempus uitae nostrae et exstinctum cinis erit corpus nostrum et spiritus diffundetur tamquam mollis aer, postque paululum sententiam quoque intersita disputatione subiungit: haec, inquit, cogitauerunt et errauerunt, excaecauit enim illos malitia eorum. et tamquam diceres: quid in his culpae uertitur, quid erroris, ille respondet: hominem animam corpoream cogitauerunt et errauerunt, ac uelut rogaret geminanti [et] quid in hoc ueritas claudat, ut animam corpus esse quis sentiat, iterat propheta responsum: errauerunt, uidelicet errauerunt, quia deus creauit hominem inexterminabilem et ad imaginem suae similitudinis fecit illum, id est dicere: adeo tenus non est corpus anima, ut sit imago diuina. estne aliquid, quo abhinc locorum uspiam progrediaris tuomet indicio proditus, ueritatis uiribus captus, prophetae testificatione conuictus? sed uiderit quisque quid sentiat: prout

mea tamen opinio fert, hoc saltim probum quod eatenus dissertauimus aduersum corporales pro spiritalibus sat foret, ni par esse ducerem apostolica quoque aut etiam euangelica in rem controuersiae praesentis adhiberi.

XI. PAVLO APOSTOLO TESTE PRO INLOCALITATE ANIMAE vtetvr

Igitur quamquam nonnullis locorum sicubi conduxit harumpiam scripturarum testimoniis usus sim, fas tamen est multimodo ueritatis gladio falsiloqui ceruiculam salubri concisione concipilari. Paulus doctor gentium, uas electum: omne peccatum, inquit, extra corpus est, qui autem fornicatur in corpus suum peccat. si excepto crimine fornicationis extra corpus est omne peccatum, in anima ergo est. porro si in anima est et corpus est anima, non ergo extra corpus est omne peccatum. sed apostolus dicit praeter fornicationem extra corpus esse omne peccatum. incorporea ergo est anima, ut sit aliquid in quo extra. corpus possit esse peccatum. itemque ad Corinthios in eum, qui scelere pollutus incesti nouercalem torum pene matris stuprator inluserat, sententiam premulgaturus sic ait: etsi absens corpore, praesens autem spiritu eum qui hoc opus fecit iam iudicaui. quid istud, apostole Paule, quid istud est? quo modo absens corpore es, ubi spiritus praesens? si corpus est spiritus, cur non potius ex duobus conpacte corporibus uno absentem alio praesentem te esse dicis, aut si unum corpus es totus, cur non parte corporis abesse te et parte corporis adesse te profers? ut enim corpore Corinthiis te dicas absentem, eo uidelicet ferri potes, quia totus in uniuerso tuo corporeus es, uerum quod corporeus totus et-per hoc quia absens corpore absens totus, nescio quo tui, quo non es, adesse te dicis: aut mendacii te arguis aut corporales istos de animae incorporalitate conuincis. estne aliquid istic creperum aut fortassis obscurum, qui in quantum corporeus est absens Corinthiis est aut nullo sui aut per incorporeum praesens est? incorporeus ergo est spiritus humanus, per quem Paulus apostolus absens toto corporeo sui Corinthiis potuit praesentari. haec et talia ex omni ferme authenticorum uoluminum corpore innumera proferre possemus.

Xii. De Eo Qvod Apostolvs Raptvm Se Vsqve Ad Tertivm Dicit Caelvm

Sana quippe catholicae fidei doctrina ita tenus intersito gradu ab imis ad media, a mediis ad summa conscendit, ut rato iudicio corpoream creaturam incorporali creaturae subdens et summo incorporeo creatori hanc eandem cum sui inferiore subiciens in tertium caelum Pauli pedissequos rapiat, qui solidum sensibilis mundi penetrabili mente transmiserint intentamque aciem ex imo caeli tergo sistentes redintegratis uiribus omne incorporeum creatum potiore nisu pro substantiae excellentioris dignitate tranauerint atque hic redactis paululum respiraculo pausae uiribus in suprema incorporei creatoris agnitione constiterint. quocirca nunc locorum percontari sedulo corporales istos uelim, quae fere illis super hac apostolica sententia sit. nam cam se dicat apostolus raptum esse usque ad tertium caelum, primum quaero localiter inlocaliterne sit raptus, et qui tres isti caeli sint, anne plures

horum, anmones corporei, anne incorporei quipiam, ut quoniam nos ad id usque loci disputationis ordo deuexit, quid istinc sequendum sit nobis consulta ueritate uideamus.

Ac primum non usque facilem de caelorum numero quaestionem paulo scrupulosius uentilemus. nempe legimus: laudate dominum, caeli caelorum, sed istuc et de multis et de binis licet intellegi, ut et plures caeli plurium caelorum et duo caeli duorum caelorum tacito numeri articulo accipi posse uideantur. ecce a terrae contiguis aere tenus aquarum elementum est, exin profundum aeris usque ad lunaris sideris citimum lumen, abhinc ignium aetheriorum spatia usque in extima transmundana, qua sphaeroidis globo mundus includitur. ubinam nunc exacta uniuersitate corporum quaeremus caelum trans omne mundanum? sed in hoc opaco rerum caligantium nubilo ex adytis supercaelestium doctrinarum consulta repetamus. in principio, inquit principium geneseos, creauit deus cum I u met terram. si opinionibus missis ueri fidem quaerimus, ecce tibi creaturarum testem ipsum creationis auctorem, qui cum ante omne tempus creauerit caelum et terram postque die uno fecerit lucem et firmamentum secundo itidem die condiderit idque caelum abusiuo nomine uocitauerit, cui ratis interuallorum limitibus loco uel modo uariantium porro siderum ornamenta subtexuit, animaduerti promptum est hoc uisibile firmamentum tanto interuallo substantiae caelo inuisibili cedere, quanto itidem terrae imis locorum intercapedine praeeminere. quocirca alieno ac translaticio nomine firmamentum istud caelum dici potest, cum uere esse caelum illi creato ante tempora caelo sit proprium. enimuero istud stelligerum quod caelum dicimus in scriptura geneseos caeli dicitur firmamentum, quippe ubi luminarium creationem retexit: fecit, inquit, deus duo luminaria magna et posuit ea in firmamento caeli. qua uidelicet auctoritate uerum illud unum ante temporaneum caelum credere sinimur, quamquam istud quo de agimus firmamentum caelum dicere non inhibeamur eo uidelicet, quia deus firmamentum uocauerit caelum.

Sed mouet iterum, quod caeli in authenticis uoluminibus non duali tantum, sed plurali numero saepe uocitantur. uero autem subicitur, quod terrae corpus unum in scripturis dicitur. orbis esse terrarum. ita igitur forsan dicantur caeli multi, cum duo sint, sicut terrae dicuntur esse, cum una sit. ad quod ergo tertium caelum raptus est Paulus? eia nunc sodes egredere et elementorum molibus excussis trutinaeque iudicii corporum ponderibus inpositis adpende mundum: quipiam fortasse caeli nobis undeunde prosilient. aut si unus mundus plures porro non habet caelos, aliquos tibi cum Epicuro mundos atomorum minuta parturiant, ut tertium caelum Paulus inueniat. sed quid ad beatitudinem spectat, ut de uno corporeo ad aliud aut ab hoc ad tertium aeque corporeum quisquis ascendat, cum non id sit merito beatius, quod loco sublimius? alioquin cedent auiculis homines, atque ad aeternitatem non profectibus ibit quisque, sed passibus.

Quapropter cum nec praeeminentia localis beatum faciat, nec tres identidem caelos anima corporalis inueniat, ut tandem defecta corporibus incorporeis cedat, iuxta praelibatam tacita discussione rationem ternarium caelorum numerum differentiamque uideamus, quia cum differentia dignitatum sit distantia locorum, si distant magis quam differant inter primum secundumque caelum, quaero quid rei sit? aut substantia uidelicet illic aut nihil est: si nihil, nulla creati caeli causis suberit, cum nec in infimis terrae quippiam nisi praecedentibus porro apud aeuum causis exstiterit. sin autem est illic quaedam terrenis potior uiuentium multitudo, substantia ergo supercaelestis ista sub caelo est hauriens uidelicet a superno sui uibrantiorum siderum flammas et liquidiores auras aeris, cuius elementum replet intercaelestis uacui concauum, quod scilicet a caelo tertio alii uiuentium populi atque alia intersiti aeris profunda discriminant.

Nunc igitur si per haec raptatus apostolus usque in tertium caelum uenit, quid istic potissimum repperit, quod si localiter quaerendum fuit et in primo caelo inueniri non potuit? sed ipse dicit raptum sese usque in tertium caelum nescio quid audisse diuinum, quod homini loqui non liceat. itane tandem, apostole, per loca deus quaeritur aut non nisi in loco ueritas inuenitur? si istuc ita est, et deus igitur localis erit et tu deum, quem localiter inuenis, localiter amittis, qui si non nisi in tertio caelo est, ibi ergo tibi relictus, ubi repertus est. at cum non de caelo corporeo, sed de caeli domino sis beatus et totus ubique sit dominus caeli, qui nec localiter quaeritur nec localiter inuenitur, haec uera profecto ascensionis tuae causa dabitur, si ab inferioris substantiae caelo ad caelum substantiae potioris ascendis. quia quaerentibus deum a corporeis ad corporea nullus ascensus est, qua uersum nunc corporalitas inclusa diffugiet? ecce et raptum fuisse Paulum usque in tertium caelum uerum est et rursum tres esse caelos corporeos uerum non est. igitur aut incorporeum quid creatum confitebere aut tres caelos infitiabere. sed quoniam et tres esse caelos et non omnes corporeos uel indiscussibilis auctoritas docet uel ratio manifesta conuincit, sub unius ope ueritatis sicut fallentia discussimus, sic uera quaeramus.

Legimus in propheta: qui fecit caelum et terram. caelum caeli domino, terram autem dedit filiis hominum. istic animaduertendum est aliud esse caelum et aliud caelum caeli, quippe cum caelum caeli dicitur, tale est ac si caelum ac terra dicatur. imum nempe siderei caeli haec terra est, sed cum ante omne temporaneum creauerit deus caelum et terram secundoque die hoc uisibile caelum fecerit, est ergo caelum aeuo terrae posterius, cum tanto sit qualitate praestantius. sed quoniam uices et spatia temporum et moras dierum momentaria mundi creatio non admittit, quia de sex dierum numero magis quam spatio nullum disserendi nunc tempus est, illud intellege, quod propheta inter caelum et caelum caeli tantam differentiam fecit, quanta ferme est inter hoc caelum et terram, ut sicut terra huius scilicet caeli haec terra est, ita hoc caelum illius caeli porro sit terra. unde coniciendum est mundi corpus uniuersum diuinitus terram dici et illud, quod domino

datum est, proprio nomine caelum uocari. scriptura namque sic loquitur: caelum caeli domino, ter-. cum autem dedit filiis hominum.

Quid ergo dicemus? numquid hoc caelum uisibile non hominibus datum est aut solaris fulgor et calor uel lunaris globi per incrementa ac detrimenta uariatio uel astrorum uagus ratusque circuitus uel per magnos orbes congressus siderum et statuta progressio, siue cum dierum noctiumque uices uariant, siue quia caloris ac frigoris alterno fotu mundum temperant, seu quod dimensis limitibus articulos temporum signant eodemque intermino linearum tramite in id ipsum sine fine redeuntia per easdem circulorum uias reuehunt, uel quod distinctis numerose choris et musicis interuallis aetherem pingunt? suntne haec omnia genti mortalium uel coniuentia usui uel iucunda spectamini? ac per hoc ita tenus corporeum caelum, quia uidelicet hominibus datum est, terra dicitur, sicut aquarum et aeris corpora non utique eiusdem corpulentiae, cuius est terra, tamen quia filiis hominum data sunt, terra dicuntur adiecto eo, quod omnium sensualiter uiuentium principaliter tactus ex terra est. porro autem sicut sine igni uideri nihil, sic tangi absque terra nihil potest: quia et ignis tactui subiacet et aether ignis est, non abhorret aliquid illic esse terrenum. quapropter quoniam omne corporeum terrae nomen includit ratoque iudicio in corporeis conpositum, terra dicitur omne corporeum, quia hic sensibilis mundus cum uisibili caelo terra est, quae filiis hominum data est.

Quid de illo caelo dicemus, quod domino datum est, non filiis hominum? ergo identidem ad eloquia diuina recurramus. idem nempe psalmographus dicit: confitemini domino, qui fecit caelos in intellectu. quocirca si in intellectu sunt caeli, quos habitat deus, nec nisi incorporeum caelum est, quod domino datum est, uidelicet cui terra est omne corporeum liquido claret omne quod intellegit non esse corporeum. porro substantialiter humanus animus intellegit, incorporeus igitur est animus humanus. en tibi terram omnem corpoream creaturam, en tibi caelum incorpoream intellectualemque substantiam. nunc igitur ut possis per duos caelos usque in tertium caelum paulo praeeunte raptari, incorporeo tui uniuersum transmitte corporeum postque etiam incorporeum creatum idemque mutabile acriore admodum nisu et uolatu perniciore transcende atque abhinc in tertium caelum, in ipsius inmutabilis incorporei beatissima contemplatione requiesce teque, humana anima, incorpoream nosce, cui pro naturae excellentia promptum est simul et congruum inter ima uel summa tui tamquam mediante substantia uel infra despicere corpus imum uel supra conspicere deum summum.

Nunc egomet sciscitor adferasne nobis aliam de ternario caelorum numero ac diuersitate rationem, quam quidem cupio, sed liquet haudquaquam dari a quoquam posse, nisi inter corpus et deum natura se substantiae incorporalis interserat, quia si nihil absque deo nisi corpus est, non tres ergo caeli, sed duo sunt, ut unum ferme caelum sit omne corpus et creator corporis aliud. uerum quoniam non trans tertium, sed in tertium caelum raptus est Paulus, transeundae sunt uelut duo caeli

omnis corporea atque incorporea creatura, ad creatorem uero quasi in tertium caelum non transeundi, quod non potest, neque redeundi, quod non debet, sed standi et manendi causa ueniendum est. hic autem cursus atque status profectus est atque perfectio, quae scilicet uirtutum est; non locorum, quoniam qui proficit currit et qui perficit peruenit.

Nunc autem quoniam amplissimos campos latissimae quaestionis breui admodum calle transmisimus datis aliquot, ut reor, indiciis, quae scilicet a recto ueritatis tramite errorum deuia secernunt, quid sibi uelit illud, quod apostolus siue in corpore siue extra corpus raptum se esse dicit, inquiro. quippe sic ait: scio hominem raptum, siue in corpore siue extra corpus nescio et reliqua, de quibus quod adtinuit diximus. ac primum adhibita discussione uideamus quid certum istic sibi beatus apostolus quidue fateatur incertum. raptum esse hominem scit, in corpore an extra corpus nescit. animaduerte iam aliud hic dici hominem, aliud corpus. ecce tamen - discretum est, quid nescire apostolus, quid scire se dicat. excutiamus igitur utrum ex incorporeo corporeoue an ex utroque sit ita tenus nesciat, sicuti cum corpore an sine corpore sit raptus ignorat. scio, inquit, hominem raptum, sed sine in corpore sine extra corpus nescio. istic nunc animaduerti licet, quod is qui raptus est et raptum esse se nouit, sentiens tamen non ipsum se esse corpus suum et sic cum eodemne an sine eodem raptus sit haesitat, se ipsum tamen raptum esse non dubitat. et cum istoc omne patescit obscurum, nempe is, qui seu cum corpore seu sine corpore sit raptus incertus est, incorporeum tamen esse et corpus habere se certus est, quia si non sine corpore raptus est, et corpus cum illo raptum est, et non tamen hoc est ipse quod corpus, cum quo raptus est. si sine corpore, multo potius intellegitur non esse corpus, quod potest esse sine corpore. scio, inquit, hominem raptum, sed siue in corpore siue extra corpus nescio, quod tale est ac si diceret: raptum me scio, sed cum corpore an sine corpore nescio. ergo etsi cum corpore raptus es, rapi tamen sine corpore potuisti. incorporeus igitur es etiam in corpore, si potuisti rapi sine corpore, quippe incorporeum corpori salua sui substantia uiuificandi eiusdem causa miscetur, ut autem corpus sine corpore sit, statuta rerum lege non sinitur.

Xiii. Ex Evangelio Deo Pro Incorporalitate Animae Teste Vtttvr

Sed iam nunc testibus meis, praeconibus scilicet ueritatis, ad indubitatam fidem ueritas ipsa testificabitur. dicit in euangelio dominus: nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. cur, quaeso te, animam occidere non potest qui occidere corpus potest, nisi quia forte anima non est corpus? tu uero dicis: corpus est quidem, sed tenuius, corpus est quidem, sed leuius. at egomet responsum refero: tenuius sit licet et leuius, sed tamen, si; corpus est, occidi potest ab eo, a quo corpus occidi potest. de his nempe duobus agimus, anima uidelicet et corpore, quibus confit homo uisibilis. qui enim dixit: nolite timere eos, non dixit, qui occidunt. spissius corpus, grauius corpus, sed qui occidunt corpus. et item non dixit, tenuius et leuius corpus, sed animam non possunt occidere. hoc

nempe corporis nomine uiuens profecto corpus inclusit, quia nec occidi quid nisi uiuum potest, ac per hoc si anima corpus est uiuum, occidi ab illo potest, a quo potest corpus occidi. ueritas dicit: qui occidunt corpus, animam non possunt occidere. non est igitur corpus anima, quae occidi non potest a quibus corpus occidi potest. uerum quoniam leuanda est perpetuae lectionis onere legentis intentio, huiusce iam uoluminis iste sit finis.

Clavdiani Mamerti De Statv Animae: Liber Tertivs — I. De Lazari Corpore Qvaliter Exanimatvm Iacverit Localiter, Cvm Anima Inlocaliter Discesserit A Co

Editis in adstructionem ueri et merito pariter et numero satis ut arbitror idoneis uadibus restat nunc ut quae ex opusculo huius patroni corporis supersunt indiscussa uideamus, qui cum temeraria persuasione decernat animam corpore contineri, adsumpto in hoc idem euangelicae auctoritatis exemplo tamquam peremptorie argumentatur dicens corpus Lazari cum fuit mortuum fuisse sine uita idemque rediuiuum fuisse cum uita, ut per hoc anima localis esse credatur, quae recesserit corpore rursusque ad corpus accesserit.

Ii. De Anima In Qvo Similitvdinem Dei Gerat

Atque ut uniuerso animarum generi in commune praescribat, ipsam nostri redemptoris animam localem esse pronuntiat formidabili scilicet atque ut autumat insolubili syllogismo: ut anima, ubi est, sit et non sit, ubi non est, tamquam nos eandem aut ubique aut nusquam esse dicamus, cum si ubique esset, deus esset, si nusquam esset, nihil esset. illa quidem non in toto mundo est tota, sed sicut deus ubique totus in uniuersitate, ita haec ubique tota inuenitur in corpore. et sicut deus nequaquam minore sui parte minorem mundi partem replet, maiore maiorem, sed totus in parte, totus in toto est, ita et haec non pro parte sui est in parte corporis. nec alia pars animae sentificat oculum et alia uiuificat digitum, sed sicut in oculo tota uiuit et per oculum tota uidet, ita et in digito tota uiuit et per digitum tota

sentit. aut si fortassis sic tota in digito sentit, ut tota non sit in digito, sentit ergo tota, ubi tota non est, et est, ubi non est. aut igitur tota erit anima in corporis parte minima, cum nihilominus in toto sit tota, aut cum tota sentiat, ubi tota non est, est ergo tota, ubi non est tota. sed de hoc et in primo libro quam plura disserui et in secundi principio non pauca praemisi, in quae si quispiam sollerter intenderit, ad hunc uidelicet locum non rudis accedet. difficillimum namque est incorporea contemplari, quia fallax uisus corporalium sensuum ita peccato oculum inbecillae mentis obnubit, ut, cum se uel deum contemplari uult, imaginum corporearum uelamen quod sibi praetexitur solum uideat, cum trans illud uidere non possit. quisquis ergo difficultate nisi.. onis huius offenditur, studium atque opus insumat, non ut me calumniatum eat, sed ut purgari ualeat.

Nec tamen egomet ita sum oblitus mei, ut non languoris quam sanitatis amplius inesse mihi sentiam. uerum tamen hanc me opinionem qua corpus creditur anima cum puerilibus annis euasisse delectat, quia tunc, cum opinabar, utique nesciebam. opinari autem ignorantis est, ignorantia uero contraria scientiae: nescit ergo quisquis opinatur. hinc equidem factum est, ut scientiam prae opinione concupiscerem sciens nescire me, quoad usque opinabar. tu autem dicis, cum de animae substantia quaeramus, quod supra nos est nobis uideri non posse, cum supra nos ipsos ipsi non simus, et item quod agnosci posse negas quasi cognitum iudicas animamque corporis corpus esse confirmas. quod si sciens dicis, quia falsa sciri nequeunt, uerum dicis et, si hoc uerum dicis, animae substantiam nosci non posse mentiris. aut igitur falsum est animam corpus esse aut falsum est animae substantiam cognosci non posse. uides quo perducat opinio sequaces sui ? nam quoniam nemo nisi ignarus opinatur et ignorantia est aduersa scientiae, tu, qui ex opinionis incerto uis certam ferre sententiam et de his uelut sciens pronuntiare quae nescis, conuinceris docere quod nescis. nescire igitur doces cumque nesciri posse dicis, docere praesumis. da nobis, quaesumus, ueniam nolentibus discere nescientiam.

III. QVIA NON LOCALITER CORPVS CONTINET ANIMAM, SED ANIMA CONTINET CORPVS INLOCALITER ET OMNE QVOD EST, AVT IN SE EST AVT SVBIECTVM AVT IN SVBIECTO EST.

Dicis ergo animam corpore contineri. numquidnam uel apostolicum illud tibi in mentem uenire non debuit, quod dictum est: et si exterior homo noster corrumpitur, sed interior renouatur? omne quod est, ut breuiter dicamus, aut in se aut subiectum aut in subiecto est. in se est deus, in rebus corporalibus subiectum est corpus et color corporis in subiecto, in incorporeis animus et disciplina, quae ita sibi nexa sunt, ut nec sine colore corpus nec sine disciplina sit rationalis animus, modo tu uideris, qui animam corpus esse et eandem superiectam in subiecto corpore contineri credis, utrumnam probare ualeamus manere quod in subiecto est ipso intereunte subiecto, quia si corpore continetur, ipsa in suo superiecta subiecto est, nec manere poterit quae continetur illo pereunte qui continet. sed

dicit apostolus ueterascente corpore renouari animam corruptoque solidari, uon ergo corpore continetur.

Vereor ne et istic opinatus uidearis nouus academicus, qui et cum academicis nihil scias et de his quae nescis sine cunctatione definias. uide ne non corpus contineat animam, sed contineatur ab anima. hoc nempe corrupto illa solidatur, sicut illud itidem huius amissione dissoluitur. illa sine hoc uiuit melius, hoc sine illa nec peius. atque ut ex his duobus, quibus confit humana substantia, quid in quo sit non argumento solum uigeat, sed etiam auctoritate clarescat, propheticum quoque testimonium proferamus. ait namque: corpus quod corrumpitur adgrauat animam. ac nobis primum uidendum est, utrumnam illud adgrauet, quod in quoquam, an illud, in quo quidque est. si illud, in quo aliquid est, leuatur ergo pondere quidque oneratur. sin uero illud adgrauat, quod in aliquo, non illud, in quo aliquid est, magis in anima est corpus, quod adgrauat animam, quam in corpore anima, quae grauatur a corpOre: onus uidelicet in portitore, non portitor in onere. quae cum ita sint, magnam animae auctoris sui inesse similitudinem maximo illud indicio est, quod pro similitudine sicut inlocaliter mundus in deo est, sic inlocaliter corpus in anima.

Nunc sciscitanti mihi peto respondeas: si localiter intra corpus est anima, quo modo continet corpus? notum nempe est corpore contineri nihil posse corporeum, nisi quod continet exterius sit et quod continetur interius. anima uero, ut adfirmas ipse, corporea quo modo intra corpus est ad id uiuificandum et extra corpus ad continendum ? an forsitan sic eiterrius continet, ut exterius non sit? rursus igitur in illam redigimur diffcultatem, ut anima aut sit inlocaliter extra corpus, ut contineat corpus, aut, si continet ubi non est, sit ubi non est. sed ratio haec te forsitan sui nouitate sollicitat. euigila paulisper ac, si potes, intuere: si non potes, admirare incorporei potentiam, ut corpus moueat stantem et non per loca loca quaelibet adeuntem in hisdemque locis inlocaliter agentem. istud si cernere quineria, non nobis animam Lazari pro quadam abscedendi redeundique localitate ueluti quoddam corpus obpones, sed eandem corpus eius incorporeo unegetasse motu et inlocaliter excessisse rursumque ad illud inlocaliter redisse cognosces.

Iam si tibi uisionis huiusce sincerum ueritate claruerit, nulla quaestionis difficultate iactabere, quatenus anima corpore posito inlocaliter esse possit in mundo, quia sic erit inlocaliter in qualibet mundi parte, sicut inlocaliter fuit in corpore. tu uero in praeiudicium generis animarum omnium Christi quoque animam localem corporeamque pronuntias et corpus dicis esse animam redemptoris, cum non sit anima pecudis.

Iiii. Qvia Sicvt Corpvs Cvm Locale Sit Inlocaliter Est In Anima, Sic Mvndvs Cvm Localis Sit Inlocaliter In Deo Est

Sed forte contendas, quo modo anima et in loco est et localis non est? et ego te mutua consultatione percontor, quo modo corporeus mundus et localis est et in loco non est ? quod si mundum in loco esse responderis, nihilo segnius quaero,

locus, in quo est mundus, extra mundum anne de mundo sit. si de mundo, non in illo mundus, sed in alio ipse cum mundo est, si extra mundum, rursus quaero, utrum locus, in quo est mundus, in loco sit. aut igitur loca, hoc est corpora infinita fateberis itaque deo, qui solus infinitus est, corpus aequabis aut mundum non in loco esse concedes. istam nunc ergo rationem mente pertracta et sicut tantum locorum tantumque spatiorum esse perspicis non in loco, ita illud, quod nullius est molis, nullius est spatii, intellege in loco esse posse sine loco, quia si illud, quod locale est, in loco non est, multo minus in loco est, quod locale non est.

V. QVIA SICVT ANIMA INLOCALITER DISCEDIT A CORPORE VT MORIATVR CORPVS, SIC DIVINITAS CHRISTI INLOCALITER DISCESSIT VT MORERETVR FILIVS DEI CHRISTVS IN CRVCE.

Sed istud quamlibet clareat intellegas necne, dubitauerim: illud quod eo usque est simplicis consequentiae, ut agnitio eius non dicam in promptu sit, sed ne uitari quidem facile ualeat, sic elapsum tibi satis mirari nequeo. dicis corpus Christi cum patibulo sublatum est animatum fuisse, exanimum uero cum sepulcro mandatum, propterque hoc quod negandum non est acuminis argumento tui localis erit animus, quia uiuificare Christi corpus alternauerit. sub huius ergo necessitate sententiae deum quoque profano ausu localem credemus, qui et in Christo, cum crucifixus est, fuit et eundem in passione dereliquit. ipse quoque dominus de cruce clamauit: deus meus, quare me dereliquisti? si enim non discessit, non dereliquit, si dereliquit, utique discessit. obice nunc igitur localitatem deo. contiguus uidelicet gradus est, ut ab iniuria similitudinis dei feraris in deum et qui infamas imaginem lacessias auctorem. sicut ergo inlocalitas deo non adimitur, quod hominem Christum discedendo deseruit, sic anima inlocalitatis priuilegium non amittit, cum corpore moriente discedit.

VI. QVIA NON IURA GABRIELEM ANGELVM IN EA SVBSTANTIA QVA SPIRITVS EST VIDIT, SED EX EO QVOD DE AERE CORPVS VISIBILE TEMPORALITER SVMPSIT.

Hic iam nunc in angelorum statum superbus orator inueheris et gabrielem tibi quasi quoddam linguae proludium deligis sic declamans: ipse beatissimus Gabriel, qui se ante deum adstare testatur, cum caelorum dominum Mariae infundendum uisceribus nuntiaret cumque sub dominicae oculis genitricis adstaret sine dubio caelo deerat, maria non superuolabat, uacua atque diffusa uasti aeris non inplebat, sed ipsum tantum locum, in quo aderat, occupabat. dilata huius paululum discussione sententiae tantam aduersantium repugnantiam prolocutionum stupere me fateor. nunc aerem subtilem, nunc eundem uastum dicis, nunc magnum mundi locum,. quem pro portione aeris elementum replet, poetica quadam licentia uacuum perhibes nec intellegis uacuum prorsus esse non posse, quia ubi est aliquid nonnihil est. aer uero nihil non est, igitur ubi aer est uacuum non est. sed nec illud uacuum recte potest dici, quod nihil est, quia quod nihil est recipere

aliquid non potest. proinde uacuum non est quod nullius capax est. illud uero quo spectat, quod matrem domini adpellare mauis poetarum more genitricem et absque uersibus poetice oratoriam texis? ego tamen non qualiter, sed quid loquaris inquiro atque ut respondeas quaeso.

cum beatissimus Gabriel ante oculos dominicae matris adsisteret, illudne in Gabriele Maria uidit, quo Gabriel deum uidet? quia si Mariae illud uisibile fuit, est ergo inlocale locali contemplabile. quod si est, inlocale non est: quia si quisque localis est, localiter uidet et adspiciens respicere non potest nisi partem. uidet igitur locum qui localiter uidet, quia pars locus est et locus locorum utique pars est et loca corpora sunt. et qui partem uidet parte sui uidet, nec uideri parte nisi pars potest, pars uero dei nulla est, quia inpartilis non habet partem. aut igitur Gabriel deum non uidet aut solidum uidet, nec integrum nisi de integro uideri potest. corpus uero nec integrum uideri nec uidere integrum potest, non igitur corpus est, unde Gabriel deum uidet, quia quo localiter Mariam Gabriel uidit et eum Maria localiter uidit, uidere inlocaliter nequit. sed ut tecum uerbo congrediar, si totus Gabriel non nisi corpus est pro distantia partium, nec totus est pes, nec totus est os, nec totus est. oculus. quocirca quando Mariae uisus est, nec pede locutus nec ore uidit nec oculo stetit, sed pars unaquaeque membrorum qualitati suae conueniens gessit officium. ergo sicut localiter stetit et localiter sonuit, ita et localiter uidit.

Hic nunc pro fine quaestionis inquiro, utrumnam Gabriel angelus, ut tu autumas, solum corpus in contemplatione Mariae corporaliter occupatus uno eodemque uisu, uno atque eodem tempore inlocalem deum inlocaliter uiderit, quo localem Mariam localiter uidit. quod quia fieri pro corporei atque incorporei diuersitate non sinitur, restat ut aut Mariam Gabriel numquam uiderit aut deum uidere cessauerit. sed huic falso sententia ueritatis obsistit, qua dictum est: quia angeli eorum semper uident faciem patris mei si semper uident, numquam non uident. sin autem quando Gabriel Mariam uidit deum uidere destitit, non ergo semper angeli deum uident. igitur aut quando Gabriel Mariam uidit deum uidere destitit, aut uerum non erit quod ueritas dixit. quapropter indissolubili, ut patet, ratione concluditur, quod quia locali uisu eodemque in Mariae contemplatione defixo angelus deum uidere non potuit et tamen tunc quoque Gabrieli deum uisum negare non licet, ne iuxta. diaboli casum in miseria scilicet umquam non uidendi deum inmutabilis iam beatitudinis angeli natura deciderit, sit in eo corporea incorporeaque substantia: una qua uel uideatur corpori uel corporaliter uideat, altera qua incorporaliter incorporeum sine fine conspiciat.

Vii. Qvantvm Distet Materia Inpormis A Nihilo Vel Iam Formata Qvantvm Distet Ab Informi

Age nunc pro acumine excellentis ingenii proque causarum rerumque notitia indaga distingue pronuntia, quo differat materia informis a nihilo, quid sit inanimum idemque formatum, quid et formatum pariter et animatum, quid sit locus et tempus, qualiter localis motus subdatur etiam temporali, cum temporalis tantum non subiaceat etiam locali, quid sit stabilis motus quidue sit aeternitas, quid sit nusquam esse et nusquam non esse, quid numquam esse et numquam non esse: et de omnibus his rationis abditum quaerito quibusque subo stantia omnis includitur aliquid delige quod angelos esse decernas. nihilum certe non sunt, quia non nihil est quidquid est aliquid. informis materia non sunt, quia inter aliquid et nihil est informis materia. ecce a nihilo uix discessimus.

Iamque de inanimo formato unde tibi angelos placet esse tractemus. animaduerte nunc quod sicut informis materia, quae formabilis est, praestat nihilo, ita quod iam formatum est melius illo est, quod etsi formari potest, formatum non est. itemque sicuti id quod formatum est anteit illud quod formatum non est, ita inanimum quodcumque formatum cedit illi quod et formatum est pariter et animatum, quia sicuti formatum proximat formae, sic animatum proximat uitae. ae sicut tria sunt, informis materia formatum exanime rerum forma, sic itidem tria sunt, uiuificatum uiuificans uita. aliud est uita corporum, aliud uita uitarum. corpus est uiuens, anima uiua, deus est uita, ita scilicet ut anima quae in se uiua est corpori uita sit, ut sic corpus sine ipsa non uiuat, sicuti ipsa sine deo. intellege nunc angelis sanctis corpora tribuere <esse} uitam negare. ac per hoc cum quodlibet animatum duplicis constet esse substantiae et solum esse corpus angelos sentias, melior ergo uermiculus angelo, quia etsi habet angelus corporis formam, non habet uel sicut uermiculus uitam. nullum porro corpus ipsum sibi uita est, aliud namque est corpus, aliud uita corporis. ant igitur in angelo est uiuificans spiritus, aut angelus omni est uiuente deterior, aut cum omni creato uiuente sit potior, non quaecumque uita, sed beatissima illi uita est.

VIII. QVOD ANGELI BONI SIVE MALI SPIRITVS SVNT NON CORPORA NEC ANGELVS VIDET DEVM PER CORPVS NEC HOMO CORPOREVS VIDET ANGELVM NISI ANGELVS ADSVMPSERIT VISIBILE CORPVS.

Est igitur in Gabriele et incorporeum quo incommutabiliter deum uideat et corpus quod uel Maria uiderit uel per quod Maria uideretur quodque subditum spiritui localiter gereret, quod gerendum in ipsa ueritate inlocaliter spiritus cognouisset. satis, ut arbitror, patet beatos angelos utriusque substantiae. et incorporeos esse in ea sui parte, qua ipsis uisibilis deus est, et in ea itidem parte corporeos, qua hominibus sunt ipsi uisibiles, quoniam nec deus ab angelo per corpus nec angelus ab homine sine corpore uideri potest. quae cum ita sint,. negari nequit diabolum quoque ex incorporeo corporeoque fa-. ctum, utpote sanctis angelis concreatum, duplicis esse substantiae. qui postquam hydrope superbiae tumuit et inuidiae febre tabuit, sponte inlocaliter sanctitate prolapsus eaque localiter caelo non sponte

deiectus, cum non angelus, sed bonus esse cessauerit, innocentiam perdidit, non naturam.. proinde sicut angelorum multitudo quae perstitit in utroque sui beatificatur, ita quae destitit in sui utroque punietur. igitur haudquaquam recte duas in diabolo substantias infitiabere, quia etiam memet spreto necessarium profecto erit, ut tute cedas tibi et partem prosecutionum tuarum parte subplodas falsumque uero diruas. habet ergo diabolus, ipse tamen incorporeus, corpus suum, quia et sentire sine corpore corporea tormenta non poterit. et item qui sentit aliud est et per quod sentitur est aliud. quippe si animaduertis, tuomet ueri.. tatem proloquio docebere. nempe dixisti: si ex hoc concreto aere diabolus corpus traxit, ergo alienum corpus I ad tormenta. portabit, tamquam egomet istud umquam uspiamue dixerim. sed non infitias eo debitum, quod hoc argumento uictoriam nobis non sponte tribuisti. nempe cum dicis, quod diabolus non alienum corpus ad tormenta portabit, fateris scilicet, quod portabit suum. mea uero non refert, suumne alienumne corpus habeat, sed habeatne corpus, id refert mea. tu uero diabolum non tantum habere corpus, sed proprium habere nec fateris solum, sed etiam argumentaris. haec quippe sententia tua est: si ex hoc concreto aere diabolus corpus traxit, ergo alienum corpus ad tormenta portabit. certe qui portat est aliquid et quod portatur est aliquid. et cum dicitur, portat suum, aliud qui portat et aliud significatur esse quod portat. ex duplici igitur diabolus ac diuersa substantia est, quia cum corpus suum portat, non est ipse quod portat. aliud quippe est onus et portitor aliud. quocirca non ultra obluctabere nobis, si credas tibi, quoniam corpus et qui habet corpus substantialiter duo sunt et haec duo diuersa sunt, atque ut diuersa sint, unum erit incorporeum aliudque corporeum. igitur diabolus ex duplici diuersaque substantia et corporeus est et incorporeus.

VIIII. QVOD SPIRITALITER NON CORPORALITER INTELLEGENDVM SIT, CVM LAZARVS IN SINV ABRAHAE ET DIVES IN INFERNO CHAOS INTERPOSITO INVICEM LOQVERENTVR.

Sed si super his redhibuimus uel aliqua ex parte rationem, illud chaos, quod inter sontes innoxiasque animas, sicut argumentaris, intersitum locis merita secernit, sub ipsius capituli; tui discussione uideamus. sic namque dissertas: si locales non sunt animae, quo modo peccatores a coetibus consortiisque iustorum uacuum illud chaos tristi interiectione discriminat, ut neque hinc illo possint accedere neque inde huc transmeare? istud euangelicae lectionis exemplum adempta dominici simplicitate sermonis pro adstruenda uidelicet animarum localitate posuisti. sed oraculi diuini sincerum in sui ueritate prolatum oppido patefaciet, quid istic sermo tuus uariauerit uitiauerit texerit. dicit in euangelio dominus: mortuus est pauper et sublatus est ab angelis in sinum Abrahae, mortuus est et diues et sepultus est in infernum. cumque esset in tormentis, uidit Abraham a longe et Lazarum in sinu eius et dicit: pater Abraham, mitte Lazarum ut intinguat minimum digiti sui in aquam et refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. et respondit Abraham: memento, fili, quia recepisti bona in uita tua, similiter et Lazarus mala, et

ideo nunc hic consolatur, tu uero cruciaris. etinhis omnibus inter nos et uos chaos magnum firmatum est, ut neque hinc ad uos quisquam possit ire neque inde huc transmeare. istud nunc mihi secundum loca et tempora uel corpora dissere, istic sine alternamento reciproci aeris et organo pectoris et tibia gutturis et oris cauo et linguae plectro per quamlibet corporalem, ut autumas, animam uerba uocibus effice, hic animae manum, cuius digiti minimum ambusti diuitis linguam refrigeraturus Lazarus aquae inmergat, ostende, hic de illo memet quasi corporeo Abrahae gremio corporale aliquid doce, ut et pro modo humani corporis sit angustum et capax possit esse multorum, et chaos illud uel tam exiguum, ut mutua quos dirimit uerba miscere queant, uel tam inmensum, at transmeari nequeat. illud autem uel maximum quaero, dies ille, qui penes inferos gehennae incendiis aestuat, qui congredi Abraham sermone quiuerit, si loca beatitudinis non accessit? qui porro Abraham cum diuite sermocinatur, si inferna non adiit? animas nempe sanctorum in intimis paradisi sedibus non usque inprobabili sententia dicis habitare. proinde cam Abraham in paradiso et dines in inferno sic inmenso quodam intransmeabili ab inuicem disparati sint, ut itidem mutuo, tamquam nihil intersit, non contemplentur solum, sed etiam conloquantur, si haec localiter aestimanda sunt, alterutrum fateri cogeris aut Abraham et diuitem nec sermocinatos inuicem nec ab inuicem uisos, ant uel infernum in paradiso uel in inferno esse paradisum.

X. Qvo Modo Spiritaliter Accipi Ista Qvaestio Possit

Sed quoniam nec auctoritati diuinae peruicaciter obsisti potest nec miseris beatitudo misceri, proloquii huiusce perplexum quia cum lippo imaginationum corporalium intro inspicere nequimus, semotis paululum locis corporibusque uideamus et, ubi itatenus inter quospiam iudicio discretos inmensum dicitur spatium, ut etiam sermonis possit esse commercium, animaduertamus non locorum distantiam, sed differentiam meritorum. cam iusto namque, quantum ad corpus spectat, localiter esse iniustus potest, iniustus uero esse in innocentia iusti, quoad usque iniustus est, non potest. unde quia post mortem nec paenitere cuiquam nec peccare possibile est, inter saluatos et perditos intransmeabile dicitur chaos indemutabilis status. tua igitur aduersus te fertur oratio, nempe testimonium, quod a nobis disparascere arbitrabaris, animaduertis nobiscum profectu disputationis unescere tibique tenuissimos sui tramites ad infinita inlocalium regionum spatia ducentes obuerso poste claudere, quia corporeae amplitudinis angustum incorporalium subtilitatum inmensa non capiens nec distantiam sine loco nec uerbum sine strepitu nec gremium sine spatio conplecti potest. porro autem corporea non sunt quaecumque ita sunt. animae uero Abrahae, Lazari et diuitis ita sunt, corporeae igitur non sunt. sed quae posthinc hisce similia secuntur minus profecto in confutationem sui penes consilii uigidos habere laboris debent. cordax quippe iudex rite uictum censet qui pro sui inbecillitate par uictis est. unde non sine pudore stupeo, quod pro conprobanda animae corporalitate subiuugis: ecce anima si Alexandriam uel Hierosolymam cogitat et si per cogitationem tota sui praesentia illic interfuit,

referat nobis situs locorum, uultus hominum, motus actusque populorum. non dispudet auctor huius sententiae exemptae animae corporalitatis capessere indicium, unde incorporalitatis uideri debuit argumentum?

XI. QVOD ANIMAE VISIO SIT INTELLECTVS ET SICVT PER CORPVS VIDET CORPORALIA SIC PER SE VIDET spiritalla, QVOD SI PER SE VIDISSET CORPORA FACILIVS SVA VISCERA VIDISSET.

Hactenus quidem de animi incorporea atque inlocali uisione disserui, ac liquido patuit eundem nulla mediante substantia aeterna semper atque inmutabilia contueri. igitur cam rationalis anima per se incorporeum atque inlocali conspiciat et ueritatem, quae deus est, a falsitate longe incorporea uisione discernat et nisi per corpus localia corporeaque non uideat, quaenam ratio est illis eandem credi similem, ad quae conspicienda interprete corpore utitur, et illis, quae per se contemplatur, iudicari dissimilem ? animae uisio, ut saepe dictum est nec iterare piget, intellectus est. enimuero corporea intellegi nequeunt, sentiri ab anima per corpus queunt. anima uero sicut per corpus sentit ita per se intellegit, eorum quae sentiuntur atque intelleguntur substantia longe diuersa est. quo fit ut anima, quia non est corpus, quaeque corporea nisi per corpus sentire non possit, uidere autem per se quae intelle- \’ genda sunt possit. tu uero nimis repugnante sententia corporea uoles intellegi et incorporea uideri ? sed ne tibi animus humanus, quem corporeum credis, aut nihil aut non nisi corporea aut incorporea forte sola per sese, sicut naturae eius est proprium, uidere posse uideatur, trigeminum quaestionis huius, quoad strictim possimus, uentilemus obscurum. ergo igitur uideatne per sese humanus animus necne, uideamus. sed quoniam paene summum istiusce negotii istoc in loco uertitur, uigilacem uigilantemque simul quaero lectorem. uisus animi per corpus, qui homini belluaeque communis est; intendit sese atque exserit per ista haec puncta pupillarum uaporato cerebri anteriore uentriculo inuisibilibus uiscerum flammis inque radios porro usque promanans, si quid coloris aut formae obuium ceperit, concipit et uti cursu ita etiam recursu rapidis line- aram meatibus recipit, itaque hoc illud est, quod uocatur uisus, sicut in primo libro disseruimus. per hunc ergo cum bellua humanus quoque animus nota ab ignotis, alba ab atris corio secernit. huccine tenus est humani uisus animi? quo igitur iusta. ab iniustis, a falsis uera diiudicat? an forsan uecordes oculati corporaliter iudicio credentur caecos anteire sapientes? sed uel Appium de Romano senatu uel hermophii lum de Graeco gymnasio uel Tobiam de prophetarum numero super ambiguo praesenti testes habeamus, quorum uel Appius eis, qui exterius clarerent oculis et interius caecuttirent, consilii lumen praebuit, uel Hermophilus theopompum geometricam sine radio docuit, uel Tobias filio, dum caeli iter praeuius pandit, angelum comitem dedit. uidet igitur animus absque corpore nec corpulentum aliquid ant coloratum aut per loca distentum, sed ipsam ueritatem, quae summe incorporea deus est, incorporeo contemplatur obtutu. patet, at arbitror, animum et per ae incorporea et per corpus uidere corporea.

Sed illud adhuc propter tepidi iecoris homunculos discuti superest, utrumnam corporea per se possit humanus animus uidere sine corpore. nunc igitur adesto totus et quam potis es praesens fito. nempe, ut adstruis, humanus animus et ipse corporeus et saepto corporis exterioris inclusus si quid per se uidere corporeum potest, nihil illi scilicet uidere promptius est, quam corporis interna, quis clauditur. age, quaeso, intende in uiscera tua et in omnes admodum corporum partes istum quem dictitas animi corporalem uisum et de temet ipso renuntiato tibi nobisque dicito, quibus modis quoue situ triformitas cerebri coeat, iecoris massa iaceat, regula lienis haereat, stomachi libra pendeat, cordis plectrum feriat, qui uenarum tramites quaeue textura, quae neruorum origines quaeue conpages, quae ossuum coitio quaeue conpactio, quae pulmonum cana, quae tortuosae botulorum enodibusque ligaturis explicitae inflexiones ac reflexiones. ecce quid negas arbitro super his responsa redhibere? cur igitur negas? quia uidelicet animus per sese corporea nequaquam uidet. sed cur uidere corporea nequaquam possit, quem non sine uisu esse iam constitit? nemo quidquam corporeum uidet, qui corporalem uisum non habet. animus autem, qui habet uisum et corporale nihil uidet, incorporaliter uidet, et incorporaliter uidere posse incorporalis est uisus, et incorporeum uisum nisi incorporeus non habet, et incorporaliter humanus animus uidet: incorporeus igitur est humanus animus. non ergo hisce friuolis solliciteris amplius, ut reare animum non esse illic ubi cogitat, quia contemplari per naturam nequit situs locorum, uultus hominum, motus actusque populorum, haec namque corporea sunt. porro autem animus incorporeus quod contra naturam sui est uidere non potest, eatenus tamen adest ubi cogitat, ut loca quae cogitat corporali uisione non cernat, sicut adest ubi uiuificat, ut ipsa quae uiuificat sui corporis interna non uideat. ac si usquequaque patet animum et corporea non posse uidere sine corpore et incorporea cum corpore uidere non posse, non diutius Alexandriae ppregrinemur, sed ab Aegypto redeuntes transmisso errorum mari et emensa ignorantiae eremo ueritatis patriam atque uti terram repromissionis intremus non otiosi neque inertes, neque uero trepidantes, ut si quid falsiloqui uanitatis uitio progenitum aut latere tenus adstrepuerit aut obuium sese dederit, Iesu praeuio et adiutore feriatur.

Xii. Contra Eos Qvi Dicvnt: Anima Sibi Incorporea Est, Deo Corporea

Sed en aliquorumpiam qui interimunt animas garrientibus nugis etsi non sistimur ab itinere, lentamur tamen. sed insumere pauxillum temporis intertrimenti nihil est, quin porro iuuat, modo quid obuersum uero quidue diuersum eadem ueritas aut depellat aut proterat. et cum audio dicere quospiam qui et corporeas esse uolunt animas et easdem incorporeas negare non possunt, aliud ipsas animas sibi, aliud esse creatori: deo, inquiunt, animae corporeae sunt, uerum sibimet incorporeae, quod ita est ac si dicant animas et corporeas esse et incorporeas, aeternitatem porro testor, quod eo mihimet hisce inanibus respondere admodum labori est, quia nihil istic quicum congrediar, nihil quod medullitus eruam, nihil quicum

certauisse exercitio, nihil profecto est quod uicisse uictoriae sit. ergo si anima corporea creatori et incorporea sibi est, duo haec quam sollerter discuti ratio indagandae ueritatis exposcit: aut uerum reuera est, quod incorporea sit anima, si hoc ipsum de se ipsa ueraciter nouit, aut item uerum est„ quod corporea sit anima, si id penes animae constat auctorem. siti uerum dicunt et uerum est, quod anima incorporea sit, quia et istud in ueritate cognoscit, et item uerum est, quod anima corporea sit, quoniam animae creator id nouit, duoque et contraria usquequaque sibi et utraque uera esse contendunt, cum uerum nisi falso contrarium non sit. inlustris admodum ac praeclara disputatio, quae dum unam solamque. ueritatem spernit duas sibi ueritates inuenit. ut tamen istos professionis suae nexibus teneam, penes hominem ipsis etiam . fatentibus incorporeus est humanus animus.

Quoniam igitur super hac nobis quaestionis parte conuenit, restat ut doceant quatenus incorporalis substantia illi corporea sit, qui eandem incorpoream creauit. nec primum dico ita sit necne, sed in praesentiarum ita esse concedo, unde tamen ita esse nouerint quaero. si id diuinorum uoluminum literae continent legant, si quaepiam ratiocinatio suadet doceant, si dialecticen iuuat exercere conuincant. si horum nihil est, saltim sententiae concedant suae, ut qui in se incorporei sunt non extra se corporeos se esse credant, quia aliud extra se esse non potest qui extra se nihil esse potest. proinde animus, qui in se ipso incorporeus est, nequaquam potest extra se esse corporeus, quia nec auctor eius aliud illum nouit esse quam fecit, nec ille aliud se potest nosse quam factus est. ac per hoc si uerum nouit, cum se incorporeum nouit, ergo fallitur deus, si animum qui uere incorporeus est corporeum nouit: $ed falli deus non potest, incorporeum igitur esse nouit animum, ne falsum sit uerum, quo se animus ueraciter incorporeum nouit. incorporeus ergo animus idcirco sibi est, quia et creatori. sicut enim terra idcirco homini terra, quia et deo terra est, et sicut aqua aer et ignis idcirco hoc ipsum homini sunt, quia et ipsum deo sunt, et sicuti omnia quae ueraciter innotuere homini hoc sunt in hominis notitia, quod sunt, ita scilicet humanus animus nequaquam potest et aliter esse et aliter deo notus esse. non enim ex rerum notitia est creatoris scientia, sed existentia rerum ex notitia creatoris. quocirca humanus animus nisi deo incorporeus esset, incorporeus esse non posset. quidquid enim quoquo modo incorporeum est, nullo modo potest esse corporeum. sed ne istic supra iusto diutius inmoremur, cedo etiam de illo quaeramus, quod nulla ex parte discussimus.

XIII. QVOD EX DVABVS SVBSTANTIIS CONSTAT HOMO INMORTALI ET INLOCALI ANIMA ET MORTALI ET LOCALI CORPORE, ET SICVTI INMORTALITER ANIMA PATITVB, SIC INMORTALITER ET INLOCALITER GLORIATVR.

Dicis etenim: cum uerbi gratia Petri uel Pauli sibi speciem animus intra mentis arcana depingit, numquid statim intimas paradisi sedes ubi eos esse nouit penetrauit ? aut cum sibi in corde diuitis illius flammas ex lectione proposuit, numquid iam

ad tormentorum eius loca ac uiuis inaccessibilia inferi profunda descendit? iam scilicet tibi, prout par fieri fuit, de incorporalibus animarum locis et de inferno atque paradiso et de animae sine corpore incorporali contuitu, cum de diuite illo et paupere uerba fecimus uel cum de animae duplici uisione tractauimus, responsa redhibui. quia uero nunc illud, quod inferna uiuis inaccessibilia esse dixisti, indiscussum restat, quatenus dixeris quaero, scilicet ex anima constamus et corpore. ac licet ambigat nemo quid inmortale in nobis quidue mortale sit, ego tamen tecum sic agam, ut de utra mauis respondeam. si ex neutra nostri substantia morimur, nihil nostrum ad inferna descendit, quia inferos uiuis inaccessos esse dixisti. si utraque morimur, ergo et corpus ad inferna descendit, nec longe nobis corporea haec inferna quaerenda sunt, quando quidem ipsum sepulcrum domini est locusinferni. sed hanc utramque absurditatem sententia sana respuit, ergo nec in utraque substantia morimur nec in utraque non morimur, uiuitque anima etiam posito corpore, quamlibet si per peccata deo suo priuetur mortua iure dicatur. credibile tamen prorsus non erit, quod peccatrix anima id ipsum ut anima sit amittat, cum etiam corpori mortuo corpus esse non pereat. ut enim moriatur corpus, cum uita omni amittit animam, anima uero animam non amittit. quocirca anima inmortalis est, corpus uero mortale. quodsi corpus inferna non ingreditur utpote sepulcro mandatum atque in diuersas mundi partes pro elementorum quae sibi in illud concinuerant diuersitate discerptum et animus non accedit inferna, quia sententia tua inferos uiuentibus claudit: aut nulli ergo sunt inferi aut ad eos hominum nemo descendit atque ita fidei nostrae ratio periclitabitur, si nec redemptoris anima inferos adeundo redeundoque reserauit. satis est dici potuisse quaecumque illa inferna sunt uiuentibus inaccessa fore, cum constet eadem nisi uiuentibus adiri non posse.

Reminiscere nunc in id te statum tui posuisse tractatus, ut si quantitati uel localitati subiacere animam probare potuisses, de corporalitate eius tecum pars etiam diuersa sentiret. uerum si bene scriptorum tuorum recolis, animaduertere simul potes proposuisse te potius de quibus disputandum foret, quam de propositis disputasse nec te academicorum seniorum more nescientiam tuam scisse, sed iuxta sectae ipsius iuniores utrum scires aliquid ignorasse. quis autem positis temere duobus, in quibus necessario operis uniuersi corpus omne consistat, non utrumque primum, si queat, alterutrumque scilicet, si utrumque nequeat, enisu cuipiam si non probabile, certe credibile faciat? duo haec in uictoriam nempe conueniunt, ut auctori probo causae probitas compos sit. horum minus uno uirtus actionis infringitur, si desit utrumque, cassatur. sic nunc equidem obliuiosum te pariter et ignarum defensorem nancta fallacia penes intellectu uigidos non solum illud negotii facessiuit, ut tibi super his credi non oportere pateat, sed ut ueritas, cui credendum semper est, clarior inlustriorque sub necessitate conflictus et conparatione falsitatis appareat.

XIIII. QVIA ANIMA IN CORPORE NON TENETVR INCLVSA NEC MO- VETVB DE LOCO AD LOCVM, CVM MOVEATVE TEMPORALITER PER ADFECTVM.

Igitur qualitatem quantitatem et localitatem animae daturum te sponte professus es moxque subiungis: quo modo non localis sit, quae inserta membris et inligata uisceribus solis motibus uaga condicione substantiae tenetur inclusa? uix sane ut aliquid perperam forte sentires atque id ipsum ueri simile uideri contenderes, error unum ueniabile facere potest, aliud ignoratio erroris. uerum nunc miris modis stupeo te tam dissidentia tamque diuersa uno propemodum momento atque eodem paene uerbo dixisse: ergo inligata membris uaga est motibus, et item: motibus uaga condicione substantiae tenetur inclusa. si intra saeptum corporis, ut tu ais, anima mouetur, uidelicet stans mouetur, quod dici ratione non sinitur. sin uero extra corpus motibus differtur, inclusa igitur condicione substantiae non tenetur. quia autem dicit solis motibus uaga? quasi quidquam uagari possit inmotum aut non sit facilius moueri et non uagari, quod facit animus per adfectum, quia subiacet utique motui non secundum locum, quam uagari quippiam nec moueri, quod est utique proprium corporis, quia subiacet et motioni per locum. tu uero illam et stare uagam et uagari dicis inclusam, cum, sicut supra iam constitit, et moto corpore consistere et moueri possit inmoto.

En quatenus de localitate animae disputauisti, in hoc tamen temet ignauiae non arcesso. illud equidem nequiuisti, scilicet quod in hoc praesertim loco ne potissimus orator quisque potuisst, quantalibet enim dicendi copia praeditus adsertor falsi contra perspicuam ueritatem mentiri potest, fallere non potest. de quantitate autem cur te disputaturum spoponderis nihilque de eadem disserueris, non possum obliuionis fuisse dicere, cum satis constet ne nomen eius nisi ex memoria potuisse proferri. illud ergo magis credendum est te non noluisse aut oblitum fuisse dicere, sed nihil quod diceres inuenisse. quid itidem congruit uel in disputationem uocare reticenda uel reticere proposita? iam de qualitate controuersia non erit, cui animam subiacere non renui, quae scilicet si, ut quantitatis, ita etiam qualitatis expers esset, profecto enim deus esset, identidemque si, ut qualitati, ita etiam quantitati cederet, corpus esset. nunc uero medioximum quiddam naturae incorporeae, sed creatae sortita nec deus est, quoniam qualitatem habet, nec corpus, quia non habet quantitatem.

. Et quoniam uti agitatis retro disputationibus edocuimus nimis late patet in huiusce <modi) quaestionibus inmensum, principalium origines conplexa causarum inspici porro intus usque nequaquam potest, nisi duplicis creaturam substantiae, quoad homini posse fas siuit, adhibito iudicii libramine secernas, aut usquequaque cessandum est aut istis illuc lineis adeundum, ut primum ab incorporeo corpus dirimas, dehinc sicut in ipso omnimodo corporum genere atris splendentia, sublimia depressis, pretiosa uilibus anteponis, ita etiam in incorporeis quae creata sunt humanas belluinis, in ipsis itidem quae humanae sunt prudentes stolidis, in his porro itidem quae natura uigent doctas indoctis animas anteuertas.

XV. QVIA SOL ET LVNA VEL SIDERA CORPORA TANTVM SVNT, NON HABENT SPIRITVS, ET SICVT CORPVS MELIVS INFERIORI CORPORI PRAEPONITVR, ITA SPIRITVS MEMOR INFERIORI SPIRITVI PRAEPONITVR.

Sicuti enim sol corpus est et saxum quodlibet longe disparile huic perinde tamen corpus est, sic equidem omnigenum natura uitarum incorporea scilicet omnis est. sed sicut corpus corpore praecellitur, cum tamen utrumque sit corpus, sic animus animo antefertur, cum tamen utrumque sit animus. et iterum opulens negotium et dites causae ad dicendum proliciunt et paene blanditer obuiae suapte specie describi sese quaesunt atque etiam cogunt. sed hasce excellentias et praeeminentias ac supremitates illi potissimum illi adeant, si qui illi sunt quos ardens euexit in aethera uirtus. uerum enimuero mihi in praesentiarum huic de statu animae quaestioni, prout ille proposuit, quocum congressi sumus, et aliquanto forsan plusculum respondere mihi prouincia fuit: quod rectene an secus fecerim, aequus et doctus arbiter iudicabit.

Xvi. Svperorvm In Brevi Recapitvlatio Librorvm — 1. De incorporeo — 2. De uita — 3. De ratione — 4. De uoluntate — 5. De memoria — 6. De tactu — 7. De accessu ac recessu — 8. De motu — 9. De mensura — 10. De dextro et sinistro

Verum quoniam multa, quae sub huiusce discussione quaestionis ubiubi disputauimus, non usque faciliter memoria conplecti cognitor potest, quae sparsim edissertata quaeque, uti arbitror, euicta sunt collectim strictimque et ueluti punctatim sub mentis oculum redegi et reuisenda simul renoscendaque congessi.

Deus incorporeus est, imago autem dei humanus animus, quoniam ad similitudinem et imaginem dei factus est homo. enimuero imago incorporei corpus esse non potest, igitur quia imago dei est humanus animus, incorporeus est animus humanus.

Omne inlocale incorporeum quoque est, porro uita corporis anima est et in corpore uiuente tam uiuit pars minima corporis, quam totum corpus. tantum ergo uitae in parte corporis est, quantum in toto corpore, et uita haec anima est, nec locale est quod tam magnum est in toto quam in aliquo et tam magnum in paruo quam in magno. non igitur localis est animus, et quidquid inlocale est corporeum non est: igitur anima corpus non est.

Item ratiocinatur anima rationalis et substantialiter inest animae ratiocinari et ratio incorporalis atque inlocalis est: igitur incorporalis est anima.

Item uoluntas animae substantia eius est et, si tota uult anima, tota uoluntas est et uoluntas corpus non est: igitur anima non est corpus.

Item memoria inlocalis quaedam capacitas est, quae nec multitudine recordabilium distenditur nec paucitate tenuatur et incorporaliter etiam corporalium reminiscitur. et cum meminit animus, totus meminit et totus memoria est qui meminit totus et memoria corpus non est: non igitur corpus est animus.

Item corpus in parte sui tactum ibi sentit, ubi tangitur, animus autem per non totum corpus, hoc est per partem corporis totus sentit, huius modi uero sensus inlocalis est et omne inlocale incorporeum est: incorporea ergo est omnis anima.

Item corpus nec adpropinquat deo nec recedit a deo, animus autem et proximat et longinquat inlocaliter: igitur animus corpus non est.

Item corpus mouetur per locum, animus autem per eundem non mouetur: animus igitur non est corpus.

Item longitudo latitudo et altitudo in corpore sunt et quidquid hisce caret corpus non est, hisce autem caret animus: corpus igitur non est.

Dextrum sinistrum, sursum deorsum, anterius et posterius in omni sunt corpore, in nulla autem sunt anima: incorporea igitur omnis est anima.

En quousque ex omni scilicet disputationum nostrarum parte contraximus quidquid toto opere moliti sumus, quoniam quod istic quam breuissime recapitulauimus nisi praemissis disputationibus fieri probabile non quiuit, quamquam si negotium tantum adsertor idoneus nanctus esset, non sicuti egomet dignitatem causae admodum inpari oratione dehonorauisset. neque uero ipse aliquanto latius prolixiusque hanc eandem quaestionem agitare non potui. uerum scilicet par fuit quoad aduersarius reniti ualuit eo usque proeliari aut quoad in fugam cessit tergum praebere et manu captum plumbeis pugionibus exarmare. ulterius porro progredi et in auras tela iacere et sine hoste pugnare cassa contentio est et uirium frustratio, quod ita erit ingloriosum, ut inlaboriosum.

Xvii. Contra Fastediosvm Et Calvmniatorem Horvm Librorvm Qvaliter Devincatvr De Mvndo Proposvit Conparationem

Quid tu igitur, ait aliquis, per haec tria uolumina aduersum breuem paginam spatiatus es, si uerbum uerbo satis? sed non id negotii est fallaciam struere, quod destruere. neget quispiam sphaeram esse mundum: uno quidem hoc ille uerbo negauerit, sed non id uno item uerbo uel timaeus adstruxerit. proinde quidquid illud ampliuscule sermocinati sumus, non modo sola falsi confutatio, sed ueri etiam coegit adstructio. quippe diuersum est dedocere noxia et utilia docere, nec hoc idem est sentem solo uellere, quod frugem iacere, non ergo id ipsum est eruere uitium, quod serere uirtutem. multo igitur amplius operae insumendum est in utroque horum, quam in alterutrum. porro autem cum utraque agitare mihi prouincia fuerit, in tam praepedito negotio praesertim magis mira est parcitas quam prolixitas. nam cum sese undeunde clarescentes atque ostentantes

proderent aliasque multipliciter progignerent, latius dicendae causae praescripsi numerum, modum statui, limitem fixi, ne uel in aciem plures necessario proferrem uel diutius rato certarem uel longius iusto procederem.

Xviii. In Fine Hvivs Libri Veniam A Svo Petit Conflictore Et Inter Vtrvmqve Certamen Ipsvm Deligit Ivdicem

Te nunc, quisque ille es aduersus cuius scripta nosmet iniuria scriptorum tuorum dicere conpulit, oro quaesoque non obirascaris mihi, neque enim conuicium rettuli neque rependi maledictum. solam tibi pro falsitate ueritatem haud pari uicissitudine reponderaui, illis ego quae, quo magis tua, tibi magis noxia sunt aduersarius sum eroque atque uti eisdem ipse quoque aduersere causa tui suadeo. pauca haec et exilia, prout arctum temporis siuit, responsa redhibui, tu tecum utrumque pensato et inter me teque personam iudicis sumito adhibetoque iustitiae libram. si lanx nostra pronior et uero grauior, non pigeat neque pudeat a transfugio refugium facere et a falsitate sub ueritate cedere. sin, quod ego nolim nec faxis persuasu istuc, uti(que) obstinatio est, edito pro sententia tua aliquid publicitus lectitandum neque nomen occulito: modo compos nostri deus et uita sit, quioniam altrinsecus continuati uiarum periculum fecimus, experiere scilicet, ueritatis uis quanta sit in excidio falsitatis.

Book ep: Epilogvs

Si non haec quae ad te scribo, uenerande uir, discutienda et emendanda transmitterem, rite potuit uideri superfluum et elatum docere uelle, quem sciam nosse, et ex paupertatis inopia dare dragmam ei, qui multa scientiarum abundat talenta. hinc accidit quod libellorum a me transmissorum editio, quos philosophicae artis subtilissima disputatione disposui, me fecit cautum atque sollicitum, ut eorundem intellegentiam iudicio non committerem meo, sed ad potioris peritiam destinarem, et non tantum ea, quae nunc ex eorum lectione percepi, uerum etiam quae <unde)unde iam pridem memoriae reseruanda mandaui iudicio tuo probanda transmisi. bene etenim scit dignatio tua minime nos habere quorum conlatione de eis, quae ambigimus, firmi stabilesque reddamur. omnis natura quae ad deum peruenit notitia proprio nomine conpellatur et ideo nomen naturae unius cuiusque rei ostenditur.

Nomen ergo dixere priores, quod rem notam faciat, quod ipsius rei imagines (tam)quam per sensus corporis, quod dirigit memoria, in auribus intromittit, ac sicut loquentibus nobis intellegimus, et absentias rerum et imagines memoriae retentas, cum uoluntas fuerit, cogitamus. sed duplex rerum natura: et corporalis igitur et spiritualis. omnis quippe creatura aut spiritus aut corpus est. corporalia scilicet per corpus sentimus, intellectualia intellectu percipimus. ergo duobus modis quantum in hac uita datur omnis rei habetur notitia. quid sit ergo, quod dicitur tria esse genera quaestionum, an sit, quid sit, quale sit? cur quaeso dicitur, an sit, cumomnis notitia rem ostendens ambiguitatem tollat et dubitare non sinat? sed ego puto ita positum esse hoc ambiguum, quia non omnia substantiarum sunt, sed reperiuntur aliqua, quae probationes earum ostendunt. uerbi causa si requiratur, utrum bonum substantia est an non, respondemus non esse substantiam, sed priuationem mali. recte enim quaeritur in quaestione prima, utrum corpus sit an spiritus, et in subsequente requiritur, quale sit, utrum corpus animale sit an apirituale, spiritus rationalis an inrationalis. recte igitur definita sunt tria esse genera quaestionum, de quibus iam satis breuiter, ut arbitror, diximus. nunc etiam uideamus quot genera sunt corporum.

Quamuis innumerabiles species sub se habeat, tria tamen sunt genera, hoc est corpus quod uiuit et sentit, corpus quod \' uiuit et non sentit, corpus quod nec uiuit nec sentit. sed hoc genus corporis, quod nec uiuit nec sentit, quattuor elementa esse puto, terram aquam aerem et ignem, quae principalia sunt et simplicia, ex quibus omnia [quae] conpacta sunt corpora, id est animalium uiuentia et sentientia, arborum fruticum et herbarum uiuentia, sed non sentientia.

Quam ob rem quid differant inter se euidentissime liquet, quae sint eorum communia, deo iuuante intentius inquiramus. sic enim uolumus inspirante domino et auxiliante, ut non tantum creaturam ipsius scrutemur, uerum etiam ascendentes ad creatricem substantiam per ea, quae facta sunt, intellectu conspiciamus et, quamuis non perueniamus ad id, ut eius substantiam intellegere ualeamus et quid sit sciamus, saltem id, quod non sit, euidentissime teneamus.

Igitur omne corpus quantitati et qualitati subiectum est, in subiecto autem corpore corpus non est. corpus enim subiectum est, non in subiecto, quia corpus substantia est, non accidens. accidentia autem in substantia sunt, non substantiae. accidit ergo corpori quantitas et qualitas, quantitas enim in mensuris est, qualitas in coloribus. non hoc esse ipsum corpus quod quantum esse nec hoc esse ipsum quod quale esse, quia et colore mutato corpus manet et in diminuto corpore quantitas quae prima fuerat non est ac per hoc non esse magnum quod magnitudo, nec longum quod longitudo, nec hoc latum quod latitudo, nec coloratum quod color ipse. est etiam corpori mensura numerus et pondus, unde etiam sancta scriptura ait deum omnia in mensura et numero et pondere disposuisse, sed hoc alio modo ad spirtum rationalem referri, quod in consequentibus dicendum, uideo. nunc uero de corpore quae coepimus explicemus. sicut enim diximus non hoc esse magnum quod magnitudo, sic nec mensura quod mensurabile, nec numerus quod numerabile, nec pondus quod ponderabile. minu<itur) igitur, quoniam in tota parte habet sursum et deorsum, habet dexteram et sinistram, habet ante et retro. mouetur per tempus et locum nec iudicat et iudicatur, partibus secatur infinite.

Age nunc uideamus quid sit quod corpus uiuificatum et non sentificat. melius enim coaequatum est uitae id, quod accipit et quod dat uita enim, quae non est minor in parte quam in toto et non parti minori minor est nec partem praebet maiori maiorem et minori minorem, non est corpus, sed spiritus. spiritus pecoris, qui non subsistit post corpus, praetermittendus ibi est, ut ad rationalem spiritum ueniamus. igitur spiritus quantitatem non habet, si uero longus esset aut latus, quantus rite utique diceretur. prudenter enim secernitur et segregatur a corpore, quia quantitati non subiacet, quamuis subiaceat qualitati. accidunt animo disciplinae, M accidit iustitia et iniustitia, castitas et libido. quattuor enim sunt uirtutes principales, id est prudentia et temperantia, fortitudo et iustitia. non enim hoc est animus (prudens) quod prudentia, nec iustus quod iustitia, nec temperatus quod temperantia, nec forti quod fortitudo. aliud est esse animum, aliud iustum animum. cum enim

dico iustum animum, duo quaedam intellego: hoc enim de prudentia et temperantia et fortitudine dixerim, quia potest esse animus, ut nullatenus sit uirtutibus praeditus, sed si eas non habuerit, consequens est, ut uitium habeat. conligitur enim subiectum semper esse animum aut uitiis aut uirtutibus, subiectum eum esse sicut diximus disciplinis, quae sine eo esse non possunt. uerum enim ratio numeri disciplina est. numquam enim. erit ut quattuor et duo septem faciant aut septem et tres undecim. similiter et figura circuli non recipit contrarietatem. numquam erit ut figura circuli ex duabus aut tribus lineis fiat aut quadrigona ex tribus ant trigona ex quattuor. si enim addideris uel minueris aliquid, iam nec trigona nec quadrigona erit, manet enim aeterna et incommutabilis. harum rationes disciplinarum et in subiecto sunt animo et sine eo esse non possunt. conligitur aeternum esse illud in quo est, sicut illud quod in eo est. ergo inmortalis est anima et id quod uiuit scit semper et cernit. sed non semper hoc cogitat, quia cum scit secura de se, quod amittat se in multis cogitationibus, distendit se ac si per tempus, non per locum mota mouet tamen et corpus per tempus et locum, scilicet iudicat et iudicatur.

Vide ergo anima humana quam magnum bonum sis, dam de corporibus iudicas, dum et rationi coniungeris, dum aeternae ueritatis fis particeps. non enim a te diligenda sunt quae infra te sunt, et quamuis mensura insit, tu tamen mensura non es. cogitationi tuae numerus uoluptatique tuae pondus tu scilicet nec numerus nec pondus es. refer uoluntatem tui amoris ad illum numerum sine numero, de quo psalmista dicit: et sapientiae eius non est numerus, ad illam mensuram sine mensura, ad illud pondus sine pondere, a quo omnia ponderantur et mensurantur. ipsum est summum bonum, a quo facta sunt omnia corporum genera bona, ipsum <a quo) rationalium magna bona: relinque bona et magna bona et summum bonum ama simplexque bonum., id est pater et filius et spiritus sanctus, trinitas haec unus deus. et tamen sic diligendum est corpus aut spiritus, secundum quod diligenda sunt, sicut quidam nobilissimus tractator sanctarum scripturarum dixit: quattuor pones dilectionis regulas, quod supra nos, quod iuxta nos, quod nos, quod infra nos. diligamus ergo illud summum bonum, quod supra nos est non loco ordinis, sed naturae, quia non potest coaequari creatura creatori. solus enim filius coaequatur patri, similiter et spiritus sanctus, quia non sunt creatura, sed inter eos una natura.

Haec, quae breui sermone digessimus, subposita pictura demonstrat: 10

Source. Latin text from the Corpus Scriptorum Ecclesiasticorum Latinorum (CSEL) collection of the Open Greek and Latin project (digital edition of *Claudiani Mamerti opera* edited by August Engelbrecht (Vienna, Gerold: 1885) Corpus scriptorum ecclesiasticorum Latinorum 11), encoded in EpiDoc TEI XML. Digitised and corrected by the Open Greek and Latin team (University of Leipzig and partners); the text is taken from the printed edition by OCR with correction, so some errors may remain. SermonIndex has only divided it into short sections for reading; the

critical notes, margin notes and apparatus of the printed edition are not shown here but are kept in the XML download.

Licence. Creative Commons Attribution-ShareAlike 4.0 International (CC BY-SA 4.0). You may share and adapt this text if you credit the Open Greek and Latin project and release your version under the same licence.